




35799/B

2/b



*Christopher Tower, Esq.  
Wald Hall.*

Taller copy  
Sig A-B earlier  
typesetting than  
35800/B

(see errata list.  
for pp ix, xii,  
incorrect)

141  
—  
15

me  
10/1/11



Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30540513>







Liber NICOLAI MASSÆ  
De PESTE  
Contractus.

Unà cum Observationibus

E

DIOMEDE AMICO,

ET

Celeberrimo Viro

Doctore MEAD  
Collectis.

---



---

L O N D I N I :

Impensis GUL. MEARS, ad Insigne Agni extra  
Templi Pomaria. MDCXXI.

30258







*Honoratissimo* PRÆSIDI,

THESAURARIO,

Cæterisq; GUBERNATORIBUS

*Sti. Bartholomæi Nosocomij,*

Hunc Libellum,

Humillimè

Dat, Dicat, Dedicatque,

N. SMITH.





## Lectori Benevolo.



*ERMULTI* varijq; sunt Scriptores de Peste. (a) Lipenius in Bibliothecâ suâ ducentos circiterq; nonaginta enumeravit. Hoc opusculum è Nicolao Massa, (b) & Diomede Amico præcipuè excerptum in lucem protuli; tabulasq; Causarum, Symptomatum, & præservandi methodorum annexui. Si quid boni exindè proveniat Authori non Editori referatur gloria.

### PRO ÆMIUM.

*Pestis non Homini solùm sed plerisq; Animalibus exitium datur. Plures habet Formas quàm Proteus olim induisse fertur: nonnunquam Homines, nonnunquam (c) Pecudes magis infestat: (d) Aliquando Senes, aliquando Juvenes certæque ætatis, & in utero existentes invadit: Quandoq; Mares, quandoq; Femine cecidère Victimæ. (e)*

A 3

Nec

---

(a) Vide Lipenium, p. 336.

(b) Vid. lib. ejus Venetijs impressum, Anno 1556.

(c) Hom. Il. I. v. 50.

(d) Multi ætate graves, ætatis constantioris plurimi, juniores ad vivendum firmi, sexus autem fæminei longè etiam plures succubuerunt, infantum perpauci evaserunt. Hodges, p. 23.

(e) Ità Diom. Amicus de Peste, p. 28.



*Nec ignotum est Agricolis, quod frequentèr Plantæ cujuscunq; generis fuerint, Syderationem vocatam, subière Pestem.*

*Ex quâ Regione, vel è quibus Principijs hoc malum exoriatur, Authores in diversis seculis copiosè disseruère. Quod ad me attinet, unamquamque Pestem ex unâ vel alterâ differenti Causâ Originem deduxisse, & unamquamq; Regionem secundùm sitûs Climatisq; differentiam plus minus hujusce mali sensissè opinor.*

(b) *Nos Britanni hac felicitate præ ceteris potiri existimamur, quod hujus Insulæ Pestis Indigena non judicatur.*

(c) *Nam quid Britannum Cælum differre putamus. Et quod in Ægypto 'st? &c.*

*Haud ulli dubium est, quin Pestis, a naturalibus Causis exoriens, in Pecudes Hominesq;, sæviat: ex alterâ in alteram transmittatur Regionem; sed quàm latè (permissu Iræve Dei) diffundatur malum, Quis enarrare potest?*

*Pestis enim (quâ non aliud velocius ullum)  
Mobilitate viget, viresq; acquirit cundo.*

*Terribilis est Atheniensium Pestis descriptio, teste Thucydide, & a Thucydide depicta. Si quis ab eo enarrationem postulat, e Græco conversam, sequentem perlegat.*

Vale, Lector, & frue.

(b) Vide D. Mead in lib. de Peste pag. 5. p. 1ma pag. 20. p. 2da.

(c) Vid. Lucret. lib. 6. v. 1104, 5.





*Pestis Atheniensis Descriptio*  
*a Thucydide desumpta.*



STATE statim incunte, Peloponnesij, eorumq; focii cum duabus (*copiarum*) partibus in Atticam irruerunt, (Archidamus verò, Zeuxidami *Filius*, Lacedæmoniorum rex, illis præerat) castrisq; in eâ positis agrum vastabant. Cumq; nondum multos dies in agro Attico mansissent, morbus Athenienses primùm aggredi cæpit, quanquam & ante cum in multas regiones invasisse ferebatur, tum etiam in Lemnum, & alia loca. Veruntamen neq; tanta pestilentia, neq; tot hominum interitus uspiam accidisse memorabatur. Nec enim medici propter *morbi* ignorantiam initio *ægrôtis* mederi (*eosq; sanare*) poterant: sed ipsi potissimùm eò magis interibant, quò magis *ad ægrotos* accedebant, nec ulla alia hominum ars (*illis opem ac salutem ferre poterat.*) Omnes etiam supplicationes ad *Deorum* templa

factæ, & omnis opera, quâ aut in oraculis sciscitandis, aut in alijs hujusmodi rebus usi fuerant, (*Hæc*) omnia nullius erant usus, tandemq; victi magnitudine mali hæc missa fecerunt. Primùm autem (*hic morbus*) ut fertur, initium duxit ex Æthiopiâ, quæ est supra Ægyptum, deinde verò & in Ægyptum, & Africam descendit, & in magnam partem regionis regis *Persarum*, Athenas verò repente invasit, ac primùm quidè in Piræo homines tentavit, ita ut ab his etiam rumor disseminatus fuerit, venena a Peloponnesijs in puteos dejecta fuisse, nondum enim fontes illic erant: Deinde verò & in superiorem urbem processit; & longè plures tunc moriebantur. Pronunciet autem de eo (*morbo*) ut quisq; sentit, tam artis medicæ peritus, quàm imperitus, unde verisimile videtur, cum extitisse, & quas causas fuisse putet, quæ tantæ mutationis faciendæ vim haberint. Ego verò, & cujusmodi fuerit, dicam, & quæ sibi quisq; proponens, si quando rursus etiam (*hic morbus*) ingruat, jam prædoctus aliquid habeat, ex quo præcipuè eum cognoscat, hæc declarabo, tum quia ego ipse hoc morbo laboravi, tum etiam quia aliôs hoc laborantes ipse vidi. Nam annus ille (ut vel omnium confessione constabat) omnium superiorum saluberrimus, & aliorum morborum maximè immunis erat: quod si quis & ante aliquo alio morbo laborabat, omnes (*hi morbi*) in istum convertebantur. Alios verò, qui corpore sano erant, nullâ certâ manifestâq; causâ apparente; sed ex improvise primùm quidè, acrescapitis fervores, & oculorum rubores, & inflammatio



matio corripiebat. Et intestina, & fauces, & lingua, continuo cruenta erant, & halitum tetrum & grave-olentum emittebant. Deinde verò ex his sternutatio & raucitas sequebatur: nec multò post hic dolor cum vehementi tussi in pectus descendebat. Ubi verò in corde hæserat, cum ipsum subvertebat, tum etiã omnes bilis ejectiones, quæ a medicis nominantur, cum ingenti & ipsæ cruciatu, sequebantur. Et inanis singultus plerisq; invadebat, vehementem afferens convulsionem, qui in nonnullis quidem statim, in nonnullis vero, vel multo post sedebatur. Et corpus quidem externum tangenti, not erat admodum calidum, neq; pallidum, sed subrubrum, lividum, parvis pustulis & ulceribus efflorescens. Internæ verò corporis partes adeo flagrabant, ut ne subtilissima quidè stragula vel lintea *injecta*, nec aliud quippiam nisi nuditatem ferre possent, & libentissimè in aquas gelidas se conjicere cuperent. Et multi eorum, quibus nullus erat custos, hoc ipsum etiam fecerunt, & in puteos se dejecerunt, siti insedabili obsessi. Et largior potus perinde erat ac parcior. Et corporis vexatio, quæ quiescendi facultatem adimebat, & perpetuæ vigiliæ eos urgebant. Corpus etiã ipsum, quamdiu morbus vigebat, non languebat: sed præter (*omnem hominum*) opinionem cruciatui resistebat. Itaq; pleriq; intra nonum aut etiam septimum diem, propter internum ardorem interibant, aliquid virium adhuc retinentes, aut (*si hoc temporis spatio præterito*) mortem vitassent, tamen quia morbus in ventrem inferiorem descendebat,

&

& exulceratio vehemens in ipso nascebatur, simul etiam quia immoderatum alvi profluvium *agrotos* invadebat, plerique postea propter debilitatem interibant. Morbus enim, qui primas in capite sedes collocarat, per totum corpus, initio a summis partibus ducto, pervadebat. Et si quis ex maximis illis *periculis* evasisset, extremæ tamen corporis partes, quæ captæ, læsæq; remanebant; cum hoc morbo laborasse testabantur. Nam (*morbus iste*) in ipsa quoq; pudenda, & in summâ manus, summosq; pedes prorumperebat. Multiq; his membris capti (*mortem*) vitarunt. Nonnulli etiam oculis (*amissis*) evaserunt. Nonnullos etiam simul ac ex morbo convaluerunt, statim omnium rerum oblivio pariter cepit, ita ut neq; seipso, neq; necessarios agnoscerent. Cum enim hoc morbi genus multò fuerit atrocius, quàm quod oratione possit exprimi, cum alijs in rebus gravius, quàm ut humana natura ferre possit, singulos invasit; (*ac pressit*) tum etiam hoc *indicio* maximè declaravit se aliquid aliud esse, quàm aliquod familiarium, (*& consuetorum morborum genus.*) Nam alites & quadrupedes quotquot humanis cadaveribus vesci solent, cum multa jacerent \* insepulta *tamen* aut *adhæc* non accedebant, aut si gustassent, interibant. Hujus autem rei est argumentum, nam hujusmodi avium manifestus fuit defectus, nec uspiam alibi, nec circum ulla hujusmodi (*cadavera*) visabantur. Canes verò propter consuetudinem, quam cum hominibus habebant; majorem eventus significationem dabant.

\* Male quadrupes.



bant. Hic igitur morbus, (ut omittam multa alia inusitatae atrocitatis *genera* prout unicuiq; aliquid accidebat diversum ab eo, quod alteri contingebat,) omnino specie talis fuit. Et tunc temporis nullus alius *morbis* ex consuetis (*Athenienses*) infestabat: Quod si quis exoreretur, in hunc desinebat. Peribant autem alij quidem penuriâ eorum a quibus curarentur, alij verò vel diligentissimè curati: nec ullum prorsus remedium, ut ita loquar, repertum est, quod adhibitum prodesset; quod enim alteri profuerat, hoc ipsum alteri nocebat: nullumq; corpus sive firmæ, sive infirmæ valetudinis esset, tanti mali violentiæ resistere potuit. Sed omnia paritèr, vel ea, quæ omni victûs ratione curabantur, corripiebat, (*ac absumebat.*) Illud verò in toto hoc malo gravissimum erat, tum quod simul ac quis se morbo correptum sensisset, animo consternaretur, (statim enim animo ad salutis desperationem conversi multo magis seipsum projiciebant (*ac deserebant*) neq; morbo resistebant; (tum etiam quod propter mali contagionem, quam alter ex alterius curatione hauriebat, adeò ut ex eâ oppleretur) tanquam pecudes morerentur. Atq; hæc fuit præcipua maximæ stragis causa. Sive enim nolissent metu deterriti mutuò se invisere, deserti interibant: multæq; familiæ propter inopiam hominum, qui ægrotos curarent, exhaustæ sunt: Sive (*alteri ad alteros*) adissent, interibant.. Præcipuè verò, qui aliquam virtutis partem sibi vindicabant (*quiq; virtutis aliquo studio tenebantur.*) Nam præ pudore sibi ipsis non parcebant, dum

in

in amicorum ædes ingrediebantur, ut eos inviserent, siquidem vel ipsi domestici tandem lamentationibus eorum, qui moriebantur, defatigati, non amplius commovebantur, mali violentia superati. Illi tamen, qui (*ex morbi violentia Mortisq; periculo,*) evaserant, & eum, qui moriebatur, & eum, qui laborabat, magis miserebantur, tum quòd hoc malum prius experti cognoscerent, tum etiam quod ipsi in tuto jam essent. Hic enim Morbus eundem bis non corripiebat, ita ut eum etiam interimeret. Et ab alijs beati censebantur, ipsiq; propter præsentim Salutis insperatæ Lætitiâ exultantes, quandam etiam levem spem habebant, se ne alio quidem ullo morbo in posterum amplius unquam absumptum iri. Ipsos autem, præter laborem, quo jam vexabantur, ipsa quoq; (*rerum*) ex agris (*in Urbem*) comportatio, præcipue vero (*rusticos,*) qui (*in eam*) confluxerant, gravius pressit. Cum enim non essent Ædes, (*quæ omnes recipere possent;*) sed in tuguriolis æstuosis ob anni tempus habitarent, strages edebatur, nullo ordine: quinetiam alij super alios morientes, mortui jacebant, & in vijs, & circa fontes omnes, aquæ desiderio, semimortui volutabantur. Et Tempia in quibus tabernacula habitandi Causâ fecerant, cadaveribus Hominum qui ibi in ipsis moriebantur, erant referta. Malo enim supra modum urgente, homines non habentes quid agerent, aut quo se verterent, sacra, ac profana æquè negligere ceperunt, omnesq; leges (*ac ritus*) quibus ante in sepultura (*& funeri-*  
*bus*) utebantur, pariter sunt conturbati. Nam  
unus-



unusquisq; *suum Cadaver* sepeliebat, ut poterat. Multiq; propter crebram domesticorum jam defunctorum stragem, rerum (*ad funus & sepulturam*) necessariorum penuria, ad impudentia sepulchra se converterunt, (*& suorum Cadavera in alienis sepulchris impudenter sepelire non dubitarunt*) nam alij quidem in alienos rogos antevertentes illos, qui eos extruxerant, suum cadaver imponebant, igneq; subjecto, eos accendebant: alij vero, dum alterius cadaver arderet, suo cadavere, quod ipsi ferebant, superjecto, discedebant. Hic autem Morbus (*non solum in hac re: sed*) alijs etiam in rebus civitati majoris improbitatis fuit initium. Facilius enim quilibet audebat (*palam*) facere, quæ prius (*pudore impeditus*) occultabat: ita ut ex animi libidine non patraret, quod repentinam rerum mutationem fieri viderint, & homines quidem fortunatos repente mori: illos vero qui nihil ante possidebant, statim illorum bona possidere (*animadvertent.*) Itaq; bonis illis celeriter perfruendum, operamq; voluptatibus dandam censebant, quod pariter & corpora, & bona, (*non diuturna: sed unius tantum diei &*) caduca esse ducerent. Nemoq; promptus erat ad labores tolerandos rei causa quæ honesta videretur, incertum existimans an esset periturus, priusquam ad illum perveniret. Quod autem *unusquisq;* jucundum, & undiq; sibi quæstuosum fore noverat, hoc etiam honestum, & utile censebatur. (*atq; adeo ut honestum & utile in morem ab omnibus \*reciperetur.*) Nec ullus

\* Male recipiebatur.

a Vo-

a Voluptatibus & quæstibus nefarijs) arcebat, partim quidem quia (Deos) colere perinde esse judicabant ac non colere, quòd omnes pariter mori viderent: partim vero, quia nullus se tam diu superstitem futurum sperabat, dum instituto judicio pœnas suorum delictorum daret. Multoq; majorem (pœnam, factorum judicio) jam decretam sibi impendere (existimabant,) ante cujus adventum, aliquibus vitæ voluptatibus sibi perfruendum esse censebant.

NICOLAUS MASSA natus est Venetijs: coætaneus Victoris Trincavellij, qui ambo artem Medendi præ alijs clarissimâ in luce collocârunt. Claruit circa A. C. 1560. vel secundum Wolfg. Justum in Chronol. Med. A. C. 1522. vid. Merclin. in Vander Linden. p. 838.

Quod ad DIOMEDEM AMICUM attinet vid. Merclin. in Joan. Vander Linden. p. 246.





Signa Febris Pestilentialis e NICOLAO  
MASSA collecta, p. 4. p. 19.

**A**nhelitus frequens.  
 Calor exterior, non vehemens,  
 Interior ardentissimus pectoris & Cordis.  
 Sitis insedabilis.  
 Vestium omnium rejectio.  
 Pulsus debilis principio, aliquando fortis, velox,  
 & frequens.  
 Lipothymia.  
 Oris fætor teterrimus.  
 Inquietudo.  
 Nausea.  
 Dejectiones appetitûs.  
 Vomitus. Tensio Hypochondriorum.  
 Faciei color mutatus.  
 Rubor ustivus.  
 Fissuræ ex nimio calore.  
 Lingua nigra.  
 Pustulæ parvæ diversicolores.  
 Apostemata.  
 Tusses siccæ.  
 Alienationes mentis, Stupores, lassitudo. Memo-  
 riæ defectus, Surditas.  
 Urina mala, qualis p. 20.  
 Sæpe bona. p. 20.  
 Fæces fætida.  
 Omnes evacuationes fætida.  
 Variolæ, morbilli, papulæ, petichia.  
 Phlegmones, Bubones, Carbunculi.

Signa

Signa Pestis Pathognomica e DIOMEDE  
AMICO. Cap. 22.

**S** Ubitus virium vitalium casus.  
Papulæ, stigmata livida, nigra.  
Fluxus colliquativus.  
Dejectiones nigræ.  
Bubones, Carbunculi.  
Sitis insedabilis.  
Lingua arida, aspera, sanguinea.  
Respiratio, difficilis, magna, frequens.  
Cordis incendium.  
Fætor anhelitus & excrementorum horribilis.  
Inappetentia.  
Nausea vehemens.  
Deliria.  
Bilis Vomitiones.  
Sudores multi.  
Extremarum albor partium.  
Alvi profluvia flatulenta.  
Urinæ nigræ, biliosæ, tenues.  
Sanguis destillatus ex Naribus.  
Pectoris æstus.  
Vigiliæ.  
Convulsiones violentæ.  
Capitis acres fervores.  
Color faciei Erysipelatosus.  
Oculorum rubor.  
Phrenesis.  
Oblivio rerum omnium.  
Tensio Hypochondriorum.  
Cardiaca Syncope.  
Partium extremarum amissio.

Signa Feb. Pest. e LUCRETIO Lib. 6.  
sub finem.

**A**CRE S fervores.  
Oculorum rubor.  
Sudor crocej coloris.  
Vox ulceribus impedita.  
Lingua gravis motu, tactu aspera.  
Cor male affectum.  
Spiritus teter.  
Animus languidus, corpusq; languidum.  
Anxietas assidua, Gemitus & querelæ, singultus  
frequens corripit nervos.  
Nullum ardoris signum, sed potius tepiditas.  
Corporis totius rubor.  
Interna fornacis instar flamma.  
Vestimenta nulla induta.  
Sitis infedabilis.  
Vigiliæ.  
Perturbationes animi.  
Vultus tristis, furiosus, plenæ sonoribus aures.  
Creber Spiritus, aut ingens & rarus.  
Sudor per collum splendidus.  
Spasmi, & tremor artuum.  
Compressæ nares, & acumen.  
Cavi oculi.  
Frigida pellis.  
Membrorum extremorum usus in recupera-  
tis amissus.  
Oblivio universalis



Signa E Doctore MEAD, p. 7, 8.

**L**anguor.  
Inquietudo.  
Ardor internus.  
Capitis Dolor vehemens.  
Delirium.  
Sudores.  
Diarrhæa, Vomitus.  
Bubones, Carbunculi.



De Causis Februm Pestilentialium e  
NICOLAO MASSA, p. 13.

**C**Ausæ aliæ sunt primitivæ seu exteriores,  
non corporales.

Alterationes aeris, aquæ, & terræ.

Frigiditas, humiditas, & siccitas.

Diversæ alterationes, diversis animantibus, &  
plantis, sunt mortiferæ.

Putredo aquæ fit ex humiditate, & calore debili.

Nimia pluvia, & rabida Solis Caliditas.

Vaporatio paludum putridarum,

Inundatio.

Cloacæ putridæ.

Sterquilinia.

Acervi rerum putridarum.

Corpora animalium mortuorum, & non tumulato-  
rum.

Communitas Vaporum delatorum a longissimâ  
Regione sc. ex Æthiopiâ a Ventis potest aerem  
inficere, ex quâ Febres pestilenciales per Regio-  
nem illam gigni possunt.

Elementorum a propriâ Naturâ Mutationes.

Inæqualis aeris proportio a nimiâ solis caliditate,  
aut quoniam non sunt Venti, vel est privatio  
pluviæ.

Nimia ventorum Septentrionalium frigiditas.

Prohibita transpiratio putredinis causa est, & ali-  
quando pestiferæ febris.

Humiditas mater Putredinis.

Siccitas in Elementis fit lima Caloris, tabescunt enim nimia Siccitate Corpora.

Impropertio qualitatum, reddit corpus putredini paratum.

Infectio a Corporibus infectis vel Mercibus.

Odores mali.

Apertio locorum subterraneorum.

Terræ Motus.





Causæ Seminariorum Pestis Ex DIOMEDE  
AMICO, Cap. 5. p. 30.

Causa superior, Dei Ira.

Eclipses luminarium.

Constellationes.

Causa inferior, p. 32.

Vapor ex inferioribus terræ partibus ad aerem elevatus.

Terræ Motus

Exhalationes.

Vapor a Lacubus, paludibus, aquis stagnantibus latrinis, fentinis.

Cadaverum multitudo insepultorum.

Locustæ innumerabiles, mari immerfæ, & ad littus ejectæ.

Pessimorum alimentorum comestio.

Vapor Pestilens a pannis laneis, vel pelliceis.

Merces infectæ, præcipue Gossipium.

Causa media.

Aeris Constitutio & Ventorum.

Tempesta calida & humida, a Ventis in totum filens.

Corpora ad Pestem parata.

Præternaturalis calor corrumpit succos, naturalis conservat.

Intensissima Caliditas & siccitas.

Variæ & repentinæ Aeris Mutationes.

Humiditas Aeris intensior.

Venti a loco pestilenti perflantes.

Auftri præcipuè.

Causæ

Causæ Pestis e Doctore MEAD, p. 2.

**A** Eris temperies humida, & calida.  
Personæ infectæ.  
Merces ab infectis locis transvectæ.



Remedia

Remedia febris pestilentialis præservativa.

E NICOLAIO MASSA. p. 23.

**R**egimen exsiccans, ac superfluum humiditatem removens, & oppilationes aperiens.

Reddere Corpus mundum, ac bene spirabile.

A malorum cibariorum comestione abstinencia.

Moderata Exercitatio.

Dimissio frequentis Multitudinis, & maxime plebis.

Commistio cum infectis fugienda.

Provisores senes, prudentes, misericordes.

Domos & personas Magistratui indicare.

Viatorum abactio.

Cymbarum examinatio.

Infectos intra navigia continere per quadraginta dies, vulgo Quarentine.

Navium Merces per plures dies aeri ventisq; exponi & lavari.

Suffumigatio ex odoratis Herbis. \*

Lanæ & Vellera omnia, Cotonum.

Linum, Cannabis vitanda, panniq; ex eis confecti.

Præparatio aeris exsiccando per ignes ex linguis Odoriferis.

Civitatem ab omni sorditie purgari.

Malæ aquæ, & vina corrupta vitanda.

Duo Hospitalia distincta, in locis boni aeris condenda.

Domus



Domus aceto frequenter aspergenda, & aquâ  
rofaceâ.

Mali odores vitandi.

Aeris infrigeratio.

Mansio salubris, & Ventis patula.

Cibus & Potus temperatus.

Cibi omnigeni sint in se optimi.

Farcimina omnia fugere, herbas malas, & aro-  
mata calida, nec non olera & pulmenta.

Vinum mediocre.

Superfluitatum Evacuatio.

Pilularum Ruffi usus laudatus.

Corporis frictio & lavatio.

Levis deambulatio ante Prandium.

Somnus secundum debitum tempus, & horis  
congruis.

Omnes animi perturbationes vehementiores  
fugere.

Venæ Apertio, vel cucurbitularum appositio cum  
scarificatione.

Odores nimis calidi fugiendi.

Theriacæ Usus.

Præstantissimum Remedium est optimum aerem  
quærere in loco ab infectis remotissimo.

Sanos ab infectis separare & morbos penitiùs per  
Symptomata inspicere.

Remedia è DIOMEDE AMICO præ-  
servativa. p. 72.

**M**ansiones frigidæ, & siccæ, & mundæ.  
Cibi ejusdem Complexionis.

Corpus purum & perspirabile, obstructionibus  
liberum.

Mutatio, & præparatio aeris, Frigus immodera-  
tum devitare

Vestimenta suffitibus purgare.

Homines suspectos purificare.

Domus ab omni immunditie liberatas servare.

Odores boni, præcipue Storacis.

Aquæ aceto mixtæ usus, præsertim rosacæ.

Ignes in Vijs publicis ex lignis bene olentibus.

Paludosus aer fugiendus.

Cadavera sepelienda.

Magna hominum Multitudo vitanda.

Peste capti in cænobium longè a Civitate amo-  
vendi,

Aqua corrigenda.

Panni lanci & pellicei fugiendi.

Exercitium temperatum.

Libido vitanda, & animi Perturbationes.

Cibus & Potus temperatus.

Varietates Ciborum vitandæ, & cibi crassi, succi  
dulces & humidi.

Cibi a locis infectis reprobandi.

Remedia a D. M E A D præservativa. p. 17.

**L**ANA, plumæ, Cotonum, Linum fugienda.

Per quadraginta Dies navigiorum Purgatio.

Hospitalia in locis convenientibus.

Sani ab infectis per quadraginta Dies amovendi.

Vestes ægrorum perdendæ.

Provisores parandi.

Perturbationes animi vitandæ.

Supellectilia in domibus infectis comburenda.

Viæ mundandæ.

Ignis Usus non adhibendus.

Nec Bombardarum Usus.

Rosarum aquæ & aceti usus laudatus.

Mundities omnigena.

Vigiliæ, jejunia, vitanda.

Acidorum fructuum usus laudabilis.

Accessus ad infectos vitandus, & hominum Multitudo

Insepulta Corpora fugienda.

Loci infecti fugiendi.







*Nicolai Massæ Veneti*

Artium & Medicinæ Doctoris,

Liber de FEBRE PESTILENTIALI.

---

Proœmium hujus primi tractatus, in quo  
quid nomine Febris Pestilentialis de-  
claratur.



FEBRIS \* Pestilentialis de quâ in hoc  
libello tractare decrevi, est morbus  
ut plurimum popularis, & inter ægri-  
tudines universalis, universalitate in-  
hærentiæ, primò in corde, deinde toti corpori per  
vasa communicatus, sæpissime perdens, & † con-  
tagiosus,

---

\* Diomedis Amici p. 24. col. 2. Pests nihil aliud est, nisi Epi-  
demia perniciofa, five morbus Epidemialis, qui plurimos perimit.

† Ibid. p. 25. Contagio est vapor aerius, ab uno ad alterum me-  
diante aere pertransiens; effectus autem pestis est putrefacere, cor-  
rodere, ardereq;.

tagiosus, videlicet transiens de homine in hominem. quo cum mala associantur accidentia, \* quemadmodum conturbatio intrinseca, cardiaca passio, mutatio faciei ad diversas mutationes, quoniam quandoque mutatur facies ad pallorem naturali suæ figuræ dissimilem & horrendum, quandoq; verò ad ruborem non solum oculorum, verùm etiam & totius faciei, fiuntq; furiosi, vel nescientes stare loco, vigiles propter vim veneni cordi propinquam, aut veluti stupidi ex multorum vaporum ad caput ascendentium crassitudine. Sunt etiam alienationes, nigredo linguæ, pustulæ in gutture, tensio hypochondriorum, spissitudo urinæ sine hypostasi, aut cum hypostasi divulsâ, lividâ ac malâ, & ventris excrementa lenia, natantia, cum foetore horribili, & pulsus vehemens & frequens † ac inconstans, & sæpe debilis; nunc autem calor exterior non multus est, nunc autem vehementissimus, nunc secundum quasdam partes corporis, nunc secundum totum cum siti clamosâ & alijs accidentibus acutarum febrium calent ||. Sed præter ista sæpe apparent per viam bonæ crises, aut symptomatice a prima die vel in processu, variolæ, morbilli, & aliæ pustulæ colore & substantiâ diversæ, aliæq; maculæ cutaneæ, sine eminentiâ colore diverso, & vulgò Venetijs petichias corrupto vocabulo appellant. Ego vero pestichias rectius nominaverim, cum febrem pestilentialem

confe-

---

\* Catalogum symptomatum vide, & compara.

† Vide D. Am. p. 57. Febris pestilentis pulsus ut plurimum parvus, & frequens, nocte autem vehemens, &c.

|| Nempe partes corporis.



consequantur, ut a peste, pestichiaë dicantur, ita ut sint papulæ, sive maculæ pestilentiales, aut sit nomen diminutivum, a peste quoniam vulgares apostema magnum in tali febre pestem vocant. tamen reverâ non differunt a morbillis nisi diversitate admixtionis, & subtilitate materiæ, ut suo dicam loco. Sequuntur etiam ad istam febrem apostemata mala inguinum, alarum, & post aures tubercula præterea cæteris corporis partibus diversa accidere solent, ut sunt carbunculi & alia hujusmodi, quandoq; & sine hujusmodi signis, & accidentibus febris hæc adest, immo dicebat Avicenna, & ego sæpius vidi ægros in quibus pulsus erat bonus & urina, & tamen cum bonitate dictorum mortui sunt. Et quando signa prædicta ferè in omnibus, aut in multis accidunt, est signum potissimum ducens in cognitionem febris pestilentialis, quæ aliquando à principio est levis in se & suis accidentibus, & in fine vehemens, & contra aliquando á principio est vehemens & in fine levis, & aliquando semper levis, aliquando semper vehemens, causas autem omnium istorum dicam postea.





## C A P. I.

Ostendit modum generationis febris pestilentialis, & quòd ipsa potest esse in omnibus generibus, videlicet ephemeræ, putridæ ac hæcticæ.

**H**Umores nostri corporis alterari non solum manifestis qualitatibus, caliditate, sc. frigiditate, humiditate, & siccitate, & istas consequentibus, verum etiam occultis, ut experientia docet, credere oportet. Unde ab utrâque alteratione fiunt ægri tudines malæ & contagiosæ, ut est Lepra, Scabies, Febres pestilenciales, Variolæ; & aliæ, materiæ vero, quæ dictas qualitates suscipiunt, sunt humores quatuor & aliæ humiditates, spiritus, vapores, & membra. Ad quam susceptionem duo requiruntur, videlicet causa agens, & materia disposita, ut scripsit Galenus primo de differentiis febrium cap. iii. & ideo oportet in toto sermone memoriâ repetere nullam causarum sine patientis aptitudine agere posse, & subdit rationem, quia si hoc non esset, sequeretur omnia corpora pati ab unâ causâ, quod est contra experientiam, non enim omnes qui commorantur in sole à febre corripuntur, & sic de alijs, sed illi patiuntur, qui parati \* sunt ad suscipiendam

---

\* Turcæ, qui mortuorum febre pestilentiali induunt vestes, nullam tamen contagionem sibi ipsis contrahunt; alij quoque variolis, &c. laborantes sine damno contrectant, quia corpora eorum ad suscipiendam infectionem sunt inepta.

endam hujusmodi solis caliditatem. Dico igitur agens requisitum esse id quod calefacit corpus qualitate venenosâ, sive pestilentiali, aut id quod agendo introducere potest venenosam qualitatem, sive causa fuerit primitiva, ut aer pestilentialis, \* qui ut plurimum est, sive antecedens ut quidam humores mali putrescentes, sive conjuncta, ut putrida fuligo, sive vapor, aut spiritus in corde, nihil enim obstat quo minus pars aliqua in seipsâ alteretur. Notare etiam oportet, quod etsi Avicenna prima quarti potissimam causam putredinis humorum prohibitam transpirationem assignavit, nihilominus aliquando putredo fit sine prohibitâ transpiratione, & hoc duobus modis videlicet extrinsecus, & intrinsecus: Extrinsecus fit, verbi gratia ab aere putrido corpus inficiente, cum ipse intus per meatus & alias vias susceptus contactu alias partes putrefacit, nam quod putridum tangit, putrescit, & ita differt febris pestilentialis ab alijs febribus, quod putridum aerem, vel alios exteriores vapores, aut spiritus, aut humores absque prohibitâ transpiratione corrumpentes suscipiat, immo in illis, qui habent meatus strictos † non imprimatur tam cito mala qualitas ab aere pestifero. Intrinsecus vero fit vel a corporis dispositione, videlicet totius, cum tali præparatione, vel ex humorum

---

\* Vid. Doctiff. Mead in suo de peste libro. P. 2.

† Meatus pororum stricti minus parati ad suscipiendum aerem pestilentialem.



morum dispositione, verbi gratia, quod fit ex se facta ebullitio vel alia alteratio propter aliquam eorum qualitatem superantem quæ ducit ipsos ad malam qualitatem extraneam; cùm autem dico humorem, intelligo omnes humiditates corporis aptas ad suscipiendam putredinem, ut est cibus intus, & chilus & aliæ omnes humiditates, cùm ex alteratione in ipsis factâ, quando dispositæ sunt hoc fieri sine controversiâ possit; & reverâ in febre pestilentiali fit, præsertim in illis quæ fiunt a comestione rerum \* malæ substantiæ, quæq; ita affecta sunt, ut facile suscipiant pestiferam qualitatem. Unde inquit Mirabilis Avenzoar tertio thesauri, cap. primo tertij tractatûs, ex corruptione cibariorum fiunt febres pestilenciales, & subdit in fine, carnes comestæ maxime corrumpunt & nocent, & sicut corpora mortuorum aerem corrumpunt, ita fit intrinseca ex carnibus quæ comeduntur corruptio. Quare vides febrem pestilentialem sive malignam vel acutam ab alteratione intrinsecâ posse fieri, ita ut sine exterioris aeris contagione generentur dictæ febres contagiosæ, quas si pestilenciales nominare nolueris, cum non pendeant ab aeris malitia, non refert, tamen cum possit ille primus patiens alios inficere, & illi alios, usque ad maximum

---

\* *Di. Am. P.* 34. Vapor pestilens, cum homines vesci alimentis pessimis coguntur.

† *V. Mead.* de insipientibus p. 3. *V. Dio. Am.* p. 34. pestilentem excitat vaporem cadaverum multitudine in sepulchrorum. Vide *Dio. Am.* caput 6. de causis pest. inferioribus falsis differentibus p. 32. &c.



imum numerum, nisi separentur, & hoc faciat per medium aeris infecti, hac postea ratione, pestifera potest dici febris..

---

## C A P. II.

De modo contagionis & diversitate loci mineræ febrium pestilentialium cum declaratione multorum problematum.

**M**irabile dictu, quod ægri tudines quamplurimæ ex homine in hominem transcant, nullo quandoq; sensibili contactu præcedente. istæ vero ægri tudines enumerantur, ab Avicenna. Quare ut in re ardua causas naturales asseram, duo intelligere oportet, primum est ex parte agentis, posterius vero ex parte corporis suscipientis. Quod autem requiritur ex parte agentis, est quod ægri tudo sit ex humore putrido, aut ex aliquo alio, a quo de facto vapores putridi aut mala qualitate affecti, sive sit pestifera, sive non, excitentur, vel excitari possint, perque aërem \*deferri, ipsumque imprimis acrem inficiant, qui postea deveniens ad corpus aliquod, illud inficiat tali ægri tudine, qualem patiebatur corpus illud, a quo vapor excitatus est. Quod si ægri-  
C
tudo,

---

\* Aer infectus Mead. p. 14.

tudo, aut id, a quo tales vapores excitantur, fuerit intrinsecum, hi vapores per poros & alios meatus exhibunt, ut apparet in mulieribus menstruatis, quæ inficiunt specula, si in ea intueantur, & hoc per vapores, qui per poros oculorum exeunt. Sed non solum inficiunt specula, verum etiam res alias quamplurimas animatas & inanimatas contactas ab earum corporibus, dum menstruantur. Hoc autem fit, quoniam mali vapores per poros totius corporis eo tempore excitantur, eaq; de causa medici vulnerarij dicti, qui rationales sunt, in curatione vulnerum & ulcerum, rejiciunt pannos lineos mulierum, puta indusium, aut alios id genus pannos, quos mulierum corpora tetigerint, quoniam hujusmodi panni sæpe malam vulneribus qualitatem inducunt, eaque reddit vulnus sanatu difficile: Sed redeo ad secundam partem, quæ est ex parte corporis suscipientis, quemadmodum est, corpus esse præparatum ad illos vapores suscipiendos, & ab ipso corpore abesse qualitates contrarias superantes virtutem agentis. Etenim virtus fortis fortiter resistit, virtuti namque forti nihil resistit, sed suscipiens est corpus debile, vel latorum pororum, aut cacochymum sive mali succi dixeris, & repletum putridis humoribus, & sic de alijs, ut dicam in loco, ubi de corporibus præparatis ad suscipiendam febrem pestilentialem tractabitur. quoniam dicebat Aristoteles tertio Physicorum agentia & patientia debent communicare in materia. Quæ vero dicta sunt hic, non obstant ijs, quæ di-



dicuntur in libello de morbo Gallico a me edito, quoniam ægri- tudines contagiosæ sunt diversæ, nam quædam pendent a materia subtili, quædam a materia grossa, & quædam a qualitate venenosa occulta, & ideo dixi ibi materiam morbi Gallici habere duo quæ ad contagionem requiruntur, viscositatem videlicet adhærentem, & fixationem, quoniam cum a materia grossa vapores non facile excitentur, si non esset fixio in ipsa vapores non excitarentur uniti, eaq; ratione non imprimerent, tum propter debilitatem actionis cum pendeant a materia pro majori parte frigida, tum quoniam virtus dispersa debilior est virtute unita, neq; etiam inficerent vel essent apti nati ad inficiendum, & hoc apparet in scabie, ulceribus putridis, & alijs. Sed in ophthalmia & febre pestilentiali, ac hujusmodi alijs, cum pendeant a materia subtili, vel caliditate febrili subtiliata, a qua multi vapores & magis activi excitantur, non requiritur illa fixio, sed satis est excitari vapores putridos a minera materiæ, sive ab alia parte ubi minera suam communicat qualitatem. Ex his solvuntur multa problemata in materia contagionis quæsitæ, primumque, unde est quod homines si cum ijs, qui hujusmodi febre, ac contagiosis ægri- tudinibus laborant, & præcipue in arctis domibus commorantur in easdem ægri- tudines incidunt, jam dictum est causas esse vapores putridos vel pestiferos a corpore infecto excitatos, & per aerem ad ejusdem speciei præ-



paratum \* corpus elatos, dictum est autem hoc quoniam pestilentielle uni speciei non est omnibus pestilentielle, tamen si aliquando animalia diversarum specierum diversas per contactum suscipiant ægri tudines, & præter hoc corpora ad suscipiendum imparata, minime suscipere. Sed forte quæres unde est quod corpora mortuorum, quæ feбри pestilentiali obierunt, eos non inficiunt, a quibus contrectantur; dico hoc esse quoniam etsi materia venenosa adhuc in illo corpore existat, cum in mortuo calor evanuerit, illa materia non vaporat, cum jam cessaverit ebullitio. Verum si talia cadavera incipiant a caliditate putredinali corrumpi, facile homines inficient febre pestilentiali. Idem evenit in ophthalmia, quod, qui in oculos ita affectos intueantur, in eandem incidunt ægri tudinem, & hoc propter dispositionem membri ad suscipiendum apti, & vapores alterantes aerem in oculis mox surripientibus receptum, neq; enim omnes inficiuntur, sed tantum, qui sunt dispositi. Dic etiam ex dictis consanguineos facilius inter se eadem ægri tudine in malignitate affici. ita quod si ejus, qui prior infectus est, ægri tudo pestilentialis fuerit mortalis, omnes ferè eadem contagione moriuntur

---

\* *Di. Am.* p. 52. Senes minùs peste corripì solent, quia eorum corpus frigidum & siccum est, omnium minimè *Temperati*, quoniam ob compositionis robur, & *Temperati*onis salubritatem fortissimè a putredine se defendunt.

*Pestis* vero *Sanguineos* magis afficit, quia sanguis facilè, putrescit. ut & *biliosos*, *phlegmaticos*, *melancholicos*.

untur, & hoc est quoniam ex jam dicta dispositione, & ex similitudine corporum, & complexionum contracta a principio generationis, cum corpora consanguineorum ex eodem fere semine concepta sint. Sed quid dicendum sit de illis qui corripuntur febre pestilentiali ex solo intuitu alicujus febre pestilentiali laborantis, vel omnino mortui, vel ex auditu tantum, res profecto mira est. Sed cum anima (ut dixit) ex forti imaginatione possit agere mediante aliquo, puta similitudine accepta a re corporea, quæ non ex toto expoliata est a natura particularium, illum inficit hominem, in quo fuit facta talis impressio, cum jam ex timore corpus sit paratum; nam ex timore, qui debilitat corpus, fit præparatio ad suscipiendam malam qualitatem pestiferam, tametsi agens sit debile, nihilominus is qui patitur nullo fere modo resistit. Sicque subjectum ex debilitate est paratum ad eam impressionem suscipiendam, vel si agens omnino sit debile. Humores ex mala dietâ \* sunt apti ad putredinem. principium fiunt febris pestilentialis unde videtur humores etiam per totum corpus cum sint mali, a quibus vapores excitantur, esse mineram & principium febris pestilentialis. Quibus accidunt signa omnia hoc ipsum attestantia,

C 3

ut

---

\* *V. Di. Am.* De morbis communibus. cap. 6. malorum ciborum usus non solum utentibus nocet, sed noxa ad filios transit, unde elephantiasis apud *Ægyptios*, podagra & lippitudo apud *Athenienses* familiaris.



ut est lassitudo spontanea, musculorum & membrorum dolor, cum amplitudine venarum propter ebullitionem in toto. Quod si materia in membris principalibus fuerit, erit in eorum operationibus impedimentum, quod ex signis cognoscitur, ut idem Galenus attestatur in libello de cholera nigra, cap. iv. ubi scribit fuisse quosdam, qui cum cuidam magnæ & diuturnæ pestilentiae superfuissent, eorum non paucis excretionem per inferiorem ventrem factam esse vocatarum epaticarum in novem diebus, quare vides mineram talium ægrotantium fuisse in epate vel in meseraicis venis jecinori propinquis. Quod si materia fuerit, ut dictum est, in jecinore & mesenterij venis epati propinquis, apparet dolor & Tensio major in hypochondrio lateris dexteri, dico major tensio in isto, quoniam in pestilentiali febre ex signis communibus est tensio hypochondriorum, & etiam caliditas major in ipso latere apparet, fit etiam ex eadem causa tensio & inflammatio in renibus cum obstructions sunt in epate, & alia signa quæ epatis nocumentum ostendunt. Quod si in stomacho fuerint humores mali putridi cum mala qualitate pestifera, tunc a principio ante manifestam febris apparitionem accidunt \* gravitates & anxietates † stomachi, aut dolor vel nausea sive vomitus materierum malarum. Sed cum in pectore & membris propin-

quis

---

\* *Di. Am.* p. 62. Gravitas totius corporis, emortua facultate sustentatrice.

† *Vid. eundem ib.*



quis cordi fuerit minera, fiunt tusses, difficultas anhelitus, caliditas circa partes pectoris, rubor faciei, ariditas & nigredo linguæ alcola, \* & fitis inextinguibilis. Et si in corde, vel propinquissima cordi fuerit materia, accidunt angustia pulsus, cordis inquietudines sine intermissione, tametsi inquietudo sit commune signum, mutatur etiam facies, & oculi cavi fiunt, sequunturq; lipothymia, syncope sive animi defectus cum sudore frigido, ac extremorum frigiditate, quæ mortem propinquam ostendunt, fiuntq; alia ultima & mala accidentia, ut pulsus debilitas, ac ipsius annihilatio. Si vero materia fuerit in capite videbis a prima die, ut ego sæpe vidi, alienationes continuas, & vigilias, † fiunt etiam aliquando somnolenti & fere stupidi ac debilitantur in omnibus sensibus, & motibus, & alijs animæ operationibus intrinsicis, tametsi etiam per consensum ab alijs membris sæpissime in capite, dicta accidentia fiant, quæ tamen sunt continua omnino, & inter cætera, isti a prima die non possunt aut surgere, nec ambulare, aut per lectulum se movere. Et hæc, (ut brevis sit pars ista) sunt signa diversitatis minerae ratione sumpta ab operationibus læsis membrorum, dicebat namq; Galenus in libello de locis affectis membra principalia communicare universo corpori, hoc modo videlicet cor per arterias, Jecur per venas, cerebrum per nervos. Vide modo & considera pulsum &

C 4

anhelitum

---

\* P. 3. † V. Lucret. *Non requies erat ulla mali.* &c.

anhelatum, urinas, || & egestiones, dico egestiones propter vesicam fellis ab hepate mittentem ramum ad intestina, idem de operationibus cerebri animadvertite, videlicet considerando motuum & sensuum operationes, virtutum, ut est apprehensio & discursus & aliæ hujusmodi, & ista sunt primum consideranda, quoniam dicuntur membra principalia a quibus omnes virtutes primò procedunt. Nisi medicus cognoverit partes corporis per anatomiam impossibile est consequi curam. Quod clarius manifestans Galenus secundo ad Glauconem dixit, Passiones quæ in intrinsicis & occultis fiunt locis, quæ non possunt visu apprehendi, non facile intelliguntur. quoniam nec oculorum acie, nec tactu eas cognoscere possumus, & quoniam occultæ sunt & febres afferunt, ideo hujusmodi cognitio perspicaciori videtur egere mentè, præcipue vero peritia naturæ membrorum, quam ex sectione, & ex exquisita scientia operationum & ex usu comparamus. vides igitur quam sit necessaria scientia membrorum, quæ per sectionem acquiritur, cum in tali scientia omnia secreta & occulta naturæ manifestentur. Nolo tamen te iterum ex dictis credere me negare hanc febrem esse propriam cordis passionem cum febris sit \* calor accensus in corde. † Sed cum ab extra sæpissime hæc febris a contactu æris fiat, qui contactus quandoq; fit etiam per vesti-

---

‡ V. Di. Am. cap 26. p. 58. de Urinis.

\* D. A. p. 26. Calor præternaturalis putrefacit, innatus conservat succos.

† V. Mead, P. 2. De mercibus infectis



vestimenta aut per aliud indumentum, manifestum est hujusmodi qualitatem fuisse impressam per poros corporis, a qua, cum esset pestifera, secuta est ebullitio in massa humoralis, atq; ex ebullitione febris pestilentialis ortum habuit, cujus minera fuit, non ex quantitate, sed ex malitia primo in venis & meatibus exterioribus, & postea malignitas communicata cordi febrem causavit pestilentialem. Ex dictis jam clara est causa diversorum accidentium in tam mala ægritudine, ut est syncope, nigredo in urinis, alienationes, & multa alia. Sed quam mirabile est id quod sæpe vidi, & in dies ægri, & medici solliciti & anxii timent. Quod videlicet est in causa, quoniam prima die multi in tali febre reperiuntur sine pulsu, vel cum ultima ejus resolutione, multi etiam in declinatione ægritudinis & accidentium, cum omnibus signis bonis, videlicet cum remissione febris, sublevatione virtutis, & melioratione omnium operationum, tam naturalium quam animalium, mortui sunt, ut inter alios contigit charissimo fratri meo *Antonio Massa* numulario Illustrissimi Domini; qui in vigesima obiit cum manifestissimis signis declinationis, & bonitate omnium operationum naturalium, qui tamen obiter devenit ad casum virtutis cum extremorum frigiditate, & reddidit animam. Quod non semper putredo sive minera putredinis febris pestilentialis est circa partes propinquas cordis & ventriculorum ipsius. Sed est in alijs membris longinquiorebus, ut ostensum est supra, tametsi accendatur calor per putridam fuliginem



ginem in corde, ad cuius confirmationem quædam exempla adducam. Et primo vidi inter alios quendam cui stomachi fundum summopere doleret, cum febricula non multæ caliditatis, urina vero cum laudabili erat sedimine, neque alienationes aut capitis gravedo erat, qui tamen devenit ad syncopen & morbillorum seu pestichiarum apparitionem post septimum, sicque ante quartum decimum diem mortuus est, cum casu virtutis & extremorum frigiditate, ac fluxu ventris fætido, fætore horribili, diverso colore & leni. Et hoc fuit manifestissimum signum quod materia mala putrida pestifera, quæ basis istius febris fuit, putrescebat in fundo stomachi, postea a natura movente ex se, vel malignitate materiæ stimulante, pars aliqua transmissa fuerit ad cutem, & apparuerunt pustulæ illæ sive maculæ, & in illo motu communicabat etiam vehementius ex vaporibus aut etiam ex materia suam qualitatem cordi & inde sequebatur syncopis; sed procedente ebullitione & calefactione, spirituum, cum malignitate, & virtute insurgente, materia mala stimulante, contra morbum & causam morbi, secutus est fluxus ille malus, & alia dicta accidentia, & ultimo facta impropotione, & resolutione etiam mors secuta est. Vides igitur, cum tamen a principio non appareret notabile nocumentum cordis, sed in processu facta impressione, a materia in fundo stomachi existente communicanti qualitatem venenosam spiritibus cordis, ipsos spiritus fuisse & mutatos a propria complexione, atque adeo attenuatos,

ut

ut non potuerint conservare vitam in tali sub-  
 jecto. Et multos alios vidi, & alij etiam medi-  
 ci viderunt, qui a principio cum pauca febre  
 erant, sed tantummodo apparebat turbulencia  
 urinæ ac tensio in latere dextero, inter quos  
 Bartholomeus Guiotus Brixienfis non sine maxi-  
 mo discrimine evasit. Et quendam vidi con-  
 querentem a principio tantummodo de dolore  
 \* dorsi, in alijs vero operationibus & membris  
 mediocriter se habebat, cui tamen in decima  
 apparuerunt papulæ, sive maculæ mali coloris,  
 & cardiaca passio, & alienatio, qui tandem cum  
 modico regimine, & ex applicatione multarum  
 cucurbitularum cum scarificatione evasit. Quare  
 ut respondeam quæsitis, dico, quod si casus virtu-  
 tis a prima die apparet, proculdubio minera &  
 mala qualitas pestifera primo & principaliter est  
 in locis propinquis cordi, vel eorum ventriculis,  
 aut si est in loco longinquo, dico materiam  
 multam fuisse, quæ invenit virtutem debilem,  
 ut contigit sæpe in ijs, qui frequenter coeunt,  
 qui si a tali febre corripiantur, pauci evadunt.  
 Adde etiam quod etsi materia non multa est,  
 tamen sua ultima malignitate, quæ penitus est  
 contraria vitæ, potest brevi tempore spiritus vita-  
 les in corde inficere qualitate illa contraria vitæ,  
 sicq; apparet subita pulsus debilitas, sed quo-  
 modo moriantur multi in declinatione dictæ fe-  
 bris,

---

\* Di. Am. C. 72. p. 140. Si dolor dorsi adfuerit, ex magna  
 putredine oritur, sicut ex ebulliente sanguine in vena cava quod  
 per dorsum extenditur.



bris, & accidentium, causam reddam. Cum in declinatione non ex toto dicatur esse evacuata causa morbi, quæ causa est materia putrida cum qualitate pestifera, & ideo virtus, tametsi aliquantulum prævaluerit, debilis est, ex labore contingente in ipsa febre, & ex malignitate materiæ, cui malignitati proprium est dissolvere virtutem. Quare cum ita sit, contigit quandoq; virtuti quærenti ultimam humorum malorum evacuationem, in die aliquando critica, & aliquando non critica, ut moveat. Sed cum sit debilis malo movet motu, & ad partes non convenientes, scilicet ad membrum principale, & quamvis sit pauca cum sit pestifera venenosa inficiendo spiritus extenuatos debiles sequitur inopinata & cita mors. Et ideo semper in istis convalescentibus ante omnia virtus instauranda est, non neglecto regimine regulari in alijs necessarijs. Talis vero mors est illa, de qua princeps Avicenna prima quarti cap. tertio dixit, In declinatione non moritur æger nisi ex causis dictis post, scilicet fer secunda quarti, Ubi inquit quandoq; ex variolis contigit in declinatione mori. Expono igitur eo modo quo supra dixi, videlicet debilitata virtute pars aliqua materiæ mota, non extra pulsa petit membrum principale, & quoniam venenosa est, & resistentia etiam est debilis, ex venenositate corrumpit ejus complexionem, sive spiritus, unde sequitur mors. Nonnullis in verâ declinatione contingit mori, nisi ex aliqua re nova resolvente virtutem, aut mutante complexionem cordis. Igitur male sentiunt, qui credunt & dicunt



eunt aliquos a peste interemptos fuisse sine febre, \* ipsi namq; non animadvertentes alterationem pestiferam venenosam fieri etiam in vaporibus, crediderunt sine febre interimi a peste, unde oportuisset eos notare quod in ephemera spiritus accenditur, & cum vapores sint venenosi antequam febrilis calor per universum corpus effundatur, moriuntur; sed facta fuit cordis calefactio ex vaporibus pestiferis antequam humores putrescerent. Potest tamen fieri ut aliquando sit putrida cum qualitate pestifera, & sit procul a partibus cordis aut hepatis, vel quæ ab aliquo impediatur, itaque non faciat alterationem in spiritibus cordis, quæ sit notabilis, neque est tantæ caliditatis, ut possit massam sanguineam sive humores ita conturbare, ut urina possit ostendere ebullitionem humorum. Quare, cum adhuc non sit multa inflammatio, non apparebit caliditas lædens notabiliter infirmum, neque manus tangens ipsam, sentiet caliditatem intensam. Et nihilominus æger tendit ad mortem, & ratio est, quoniam cum materia venenosa est in locis remotis a corde, amoto impedimento, occupat cor, si vero in loco a corde longinquo sit, imprimit malam qualitatem, corrumpitq; spiritus & suam complexionem, qua corrupta sequitur mors, cum ijs dictis signis ipsam non indicantibus. Neque debet quis dubitare dictam mortem

---

\* V. Di. *Ami.* C. 14. p. 44. Qui asserit pestilentes morbos esse posse cum febre, & sine febre, probatq;.

tem non posse sequi ab aere pestifero, cum semper inspirationem, ad cordis refrigerationem, aerem animal recipiat, qui si pestiferus fuerit, corrumpet complexionem spirituum (ut dictum est) & sequetur inopinata mors, ut accidit in maximis pestilentiis a corruptione aeris evenientibus, at tamen semper ante mortem cor accenditur a caliditate extranea, sed notare oportet quod quando materia jam suam communicavit qualitatem malam cordi, pulsus non est amplius bonus, immo est diversus, ut sæpe expertus sum in morientibus.

---

### CAP. III.

De materia faciente febrem pestilentialem, & aliis, quæ basis morbi dicuntur.

**Q**UANDO fit aer secundum hunc modum, videlicet putridus pestilentiali putredine, venit ad cor, quare corrumpit complexionem spiritus, qui est in ipso, & putrescit quod circumdat ipsum de humiditate, & accidit caliditas egressa a natura. \* Clare patet igitur febrem  
pe-

---

\* D. Am. p. 45. Febris pestilentialis tres sunt species, Diaria in spiritibus accensa, (quæ intra 24 horas enecat) Humoralis, quæ Humores corrumpit, Hæctica, quæ in substantia cordis permanens & fixa est.

Di Am. p. 46. Pestilenti febre citius afficiuntur, quibus ad putredinem sunt humores parati.



pestilentialem fieri ex putredine humorum. Quod confirmat, idem Avicenna, cap. quarto, docens, curare, Inquit, si materia fuerit sanguinea incipe a sanguinis missione, si autem alij humores fuerint, evacuentur. Quare ex humoribus omnibus istam febrem fieri patet. Sed quoniam humiditates subtiliores facilius recipiunt caliditatem putrescibilem, & pestiferam qualitatem, quæ humiditates cum sint evaporabiles, alijs corporibus ipsam communicant, hinc est quod febris pestilentialis ut plurimum est sanguinea, aut cholericæ. Sicque dicere oportet basim, in qua est hoc accidens pestilentiale, esse ut in pluribus aut humorem sanguineum, aut cholericum, raro phlegmaticum, & melancholicum, ut plurimum intraneum: quoniam sæpe vidi febrem pestilentialem cholericam cum apparitione morbillorum alternantem, videlicet incipientem cum frigore & terminantem cum sudore & hujusmodi febris non est tanti discriminis, quoniam pro parte materia expellitur extra venas. Sed quæ sit causa quod ista febris raro sit diuturna, videlicet quartana, aut quotidiana, vel tertiana diuturna a crassitudine materiæ nemo fere ignorat. Cum ratione venenositatis hæc febris sit turgida, stimulans naturam ad expulsionem sæpe symptomaticam, raro criticam, materiæ vero expelluntur, aut per vomitum, vel per secessum, aut per permutationem ad inguina cum apostematibus malis, vel etiam ad alia loca non emunctoria, per tubercula & genera papularum & macularum malarum. Sed notabis quod apostemata,



ta, quæ ex frigidis a prædominio fiunt humoribus, ut plurimum sunt mala, tametsi in quacunque febre pestilentiali sint mala, quoniam cum materia melancholica, & maxime cum malignitate, expellitur, & fit apostema, non suppuratur, quamvis etiam alij sint admixti humores, ut puta, sanguis & cholera, sed tendit ad corruptionem, propter inobedientiam humoris, & malignitatem pestiferam. Et hoc magis si virtus fuerit imbecillis. idem dico de phlegmatico, quamvis non sit ita inobediens nec malum, exijs, quæ superius dicta sunt facile doctis persuadetur in scientia medicinæ quancunque febrem putridam posse esse pestilentialem, neque id aliqua ex parte obstat, cum quæcunque materia putrida sit parata ad suscipiendam ulteriorem putredinem & malignitatem. nam si corpora sana ab ipso aere alterantur alteratione pestifera, quanto magis, corpora imbecillia plena putridis humoribus, quamvis sint melancholici aut phlegmatici, cum ab ipsa exteriori & etiam interiori alteratione oppressa virtute, & ad talem dispositionem deveniunt. Et sic aliquando vidimus temporibus pestilentialibus febres incipientes ex putredine humorum crassiorum phlegmaticorum & melancholicorum & transcendere temporis diurnarum febrium cum accidentibus pestilentialibus, videlicet cordis pulsu sive tremore, animi defectu, extremorum frigiditate, & alijs malis accidentibus, cum quibus recedunt ab hac vita. Corpora magis materialia & sicca sunt apta ad suscipiendam istam pestilentialem qualitatem, ut sunt plantæ, quæ pereunt ex mala aeris pestiferi qualitate.

qualitate. \* Nec solum plantæ pereunt, sed comedentes eorum fructus sive folia, † sed in armentis hoc sæpe accidit, tametsi sit ægritudo humoralis, attamen si comparare volueris, facilius est imprimere in secundis humiditatibus in homine aliquam qualitatem, quàm in primis humiditatibus brutorum, cum corpora hominum sint magis abnoxia alterationibus interioribus & exterioribus, quàm corpora brutorum, ut docet quotidiana experientia, & quamvis febres habitudinales sint immateriales, tamen quia calor jam in dictis secundis humiditatibus est, possunt ab ipsis excitari vapores & ad alios homines transire, eosq; infectos perdere suâ qualitate pestiferâ; Quæ febris hectica cognoscitur, quoniam sunt accidentia mala, ut est syncope, passio cardiaca, & alia solita evenire in febribus pestiferis humoralibus, tametsi non sint ita fortia. Sic etiam dicere oportet, de febre putridâ phlegmaticâ, & quartanâ quæ non habent accidentia fortia sicut cholericæ, & sanguinea. Ex dictis credo satis probatum esse dari ephemeram pestilentialem, & maxime ex verbis Avicenne dicentis, ab aere corrumpi spiritum, aut ejus complexionem, quod clarum est, præsertim tempore æstivo, cum primò ab aere accendantur vapores, deinde spiritus cum sint substantia magis inflamabilis, cum verò caliditas accensa est in spiritibus, illa febris est, quæ ephemera dicitur.

---

\* Vid. *D. A.* p. 28. Plantæ pesti subjectæ, & animalia, vaccæ boves, canes, &c. † Corpora hominum magis abnoxia alterationibus interioribus, & exterioribus quàm corpora brutorum.



## CAP. IV.

## De definitione seu descriptione febris pestilentialis.

**P**Rotinus inter initia, febris definitionem, quoniam febris est, dicere hic oportuisset ex principis sententiâ, unde omnia colliguntur, esse scilicet calorem extraneum in corde accensum. Sed cum hic pestilientiale genus tantum declaretur, universali ratione febrium prætermisâ, eam tantummodo febrem pestilentialem declarabo, ut legentes in cognitionem ipsius facilius devenire possint; quæ declaratio ut facilior sit, multa, quæ superius scripta sunt, repetere non inutile fore judicavi. \* Febris igitur pestilentialis est morbus complexionalis, aliquando acutissimus contagiosus, & universalis cum qualitate pessimâ venenosâ conturbans intus, & ut plurimum perdens. quoniam suâ pessimâ qualitate pestiferâ corrumpit spiritus cordis, eâq; de re est longè acutior alijs morbis, ac deterior longinquiorq; à salute, ita ut aliquando tanti sit acuminis ac malitiæ, ut sex aut duodecim horarum spatio patientes è vitâ rapiantur, sine ullâ alteratione præcedente, quo fit ut *sæpe in publicis vijs cum ad consueta munia † proficiscuntur*, moriantur, serpitq; hic morbus citissimè, ac subitò populetur. Et pendet ex ebullitione unius interdum, &

\* V. p. 4. Col. 1.

† Vid. Virg. Pestem. L. 3. v. 515. Ecce autem duro fumans sub vomere taurus Concidit, &amp;c.



& interdum plurium quatuor humorum, & aliarum humiditatum, spirituumq; & superfluitatum, quamvis rarò ab in secundis humiditatibus inflammatione fiat, sæpissime ab alteratione sive causa extrinseca factus & aliquando ab intrinseca. Et quando non statim interimit hic morbus sæpissime accidentia multa & sævissima apparent, quemadmodum inquietudo, \* lassitudo corporis, nausea, & casus appetitûs, cui nisi succurratur cum comestione violentâ, dicebat, Avicenna ægrum interfici. Dolor stomachi, & ipsius anxietas, tensio hypochondriorum, atq; dolor dorsi, tussis sicca, anhelitus malus, & vehemens, frequensq;, ariditas linguæ, fitis mala & inextinguibilis, alienationes, stupores, inania insomnia, oculorum rubor, ac faciei mutatio diversa, cordis passio, lipothymia, syncope, sive animi defectus, sudores frigidi diaphoretici, id est resolutivi, pulsûs debilitas, ac ipsius annihilatio, & hoc quando materia est propinqua cordi, & cum ultimâ malignitate. Attamen non semper sunt omnia dicta accidentia, sed quandoq; plura, & aliquando pauciora, ita ut ex paucitate accidentium sæpe difficilis sit cognitu. Nam secundùm naturam, & multitudinem humorum & aliarum materierum, & earum malignitatem, ac etiam locum, & fortitudinem, vel imbecillitatem virtutis, fiunt plura & minora accidentia. Urinæ sunt subjugales, aquosæ, diversæ, sine ullo aut certè cum malo sedimento, fiunt etiam sæpe fluxus

D 2

mali

---

\* Symptomata febris pestilentialis. V. D. Mead. p. 7. & *Diagn. Am.* p. 53. &c.

mali diversi, cum quibus recedunt è vitâ ; apparent sæpe apostemata emunctoriorum & etiam botores, sive tubercula diversa, ut sunt carbunculi, variolæ, morbilli, effaræ & maculæ aliæ diversæ, in colore, quas pestichias superiùs vocavi, quæ sunt etiam sine eminentiâ, secundum diversitatem & prædominium humorum peccantium, quæ maculæ non differunt in materia à tuberculis, sed in grossitie, & subtilitate materiæ, & sunt propter aeris exterioris malitiam deteriores morbillis, quando ex infectione exterioris aeris procedunt, quoniam humores bonos inficit, sed morbilli quoniam ab intrinsecâ fiunt naturæ alteratione, eos humores depurant. Hæc omnia per universum corpus evenire consueverunt, interdum primâ die, interdum autem quartâ, vel septimâ, vel undecimâ & in alijs, & aliquando in die non criticâ, & tunc est malum, quoniam natura stimulatur vel à multitudine, vel à qualitate pessimâ, vel ab utrisq; simul. Etenim materia quæ facit has papulas, est sparsa per omnes venas usque ad exteriorem cutem. Apostemata inguinum fiunt à materiâ, quæ est in venis epatis, alarum verò cum est in venis, quæ à corde recipiunt, sed post aures si sunt à capite fluit materia, quæ apostemata diversimode & sapientes & vulgares appellant, nam quidam bubones, quidam anthraces vulgares vero nostri pestem. Fiunt & alia apostemata aliquando magna, & aliquando parva, quæ certum sibi locum non determinant, eaq; vocant carbones, & sunt diversi in colore, & substantiâ, fiunt etiam & cryspelata



pelata mala, & in ore alcola, ac squinantia, ac etiam apostema plureticum, sed in ultimâ morbi sævitie accidit extremorum corruptio. Hæc præterea febris etsi ut plurimum continua sit, tamen aliquando visa est cum exiguo rigore affligere cæpisse, ac cum sudore terminasse, quemadmodum fieri assolet in febribus salubribus. Et aliquando incipit sine typo, vel frigore cum caliditate levi sine ariditate, quæ tamen est continua, ac semper cum illâ intrinsecâ conturbatione & anhelitûs frequentia, ac quâdam vigiliâ. Neq; in quacunque febre pestilentiali apparent pustulæ, & maculæ, vel apostemata dicta, sed sæpe cum mitioribus accidentibus tendunt ad mortem. Præterea ejusmodi accidentia post nonnullos dies, & interdum à principio febris apparent, ita ut aliquando febris verè, aliquando falsò declinare videatur, & tamen post hoc superveniunt lypothymia, paralyfis, impotentia motûs, vertigines, scotomia, surditas, debilitas memoria, insipientia, & incompositæ locutiones, mutationesq; existimationum, & cogitationum, ac discursus ab eo statu, qui fuerat secundum naturam.





## CAP. V.

Ostendit causas febrium pestilentialium  
aliaq; scitu dignissima.

**D**Icatur igitur sic, causarum febrium pestilentialium quædam sunt exteriores, quas primitivas vocant medici, quædam vero interiores, quas in duas dividentes causas, alteram antecedentem vocant, alteram conjunctam. Sit ergo in primis sermo de primitivis, quoniam exteriores sunt, neq; corporis nostri partes. Causæ primitivæ seu exteriores sunt causæ non corporales, vel non sunt partes corporis nostri, & sunt causæ effectrices, quæ agunt dupliciter, videlicet qualitate manifestâ, & qualitate occultâ, & ut clarius hoc intelligas, causæ extrinsecæ aliquando agunt quâdam actione non perceptibili sensu, cognoscitur tamen discurſu, & ratiocinatione neq; coeleste est, seu ira dei; Sed sunt dispositiones aeris, vel alterius rei occultæ facientes effectum inopinatum multis. At sapiens cujus est omnia scire ut decet, non ignorabit cùm præviderit seu sciverit causas. Quâ autem ratione causa exterior sive primitiva in corpus nostrum agat, pulchra ac scitu digna est inquisitio, & maxime in illis febribus pestilentialibus, quæ à causâ extrinsecâ hominibus accidunt. Causæ igitur exteriores agere possunt, primùm quoniam aeri, aquæ, & terræ alterationes quamplurimæ à qualitatibus manifestis

festis, quæ sunt caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, accidunt, præterea à qualitate occultâ, quæ non fit sine disproportione qualitatum manifestarum. Ignis vero ob caliditatis sinceritatem putrescibilem alterationem non recipit, vel aliam, cum quâ sub formâ ignis manere possit. Notabis tamen nullum elementum purum putrescere, sed illa tantum, quæ admixta sunt præsertim cum humiditate; & eâ ratione ignis, & illa ultima pars aeris prope ignem, cum sit exiccata, ac igne plena non putrescit, cæteræ verò partes aeris, quoniam recipiunt vapores quamplurimos à sole & ab alijs alevatos, diversas putrefactiones suscipiunt; quemadmodum illam, quam pestem vocant, hominibus & reliquis animantibus perniciosam: Attamen non protinus quod homini mortale est, idem erit & cæteris. Etenim diversæ alterationes diversis animantibus & plantis sunt mortiferæ ac corruptrices: Præsupposita vero, ex sententiâ philosophi. Putrescibile alteratione, & corruptione esse in tribus elementis, videlicet in terrâ, aquâ, & aere, vel in corporibus terrestribus, aquaticis, & aereis: Dicamus quòd terra sæpe ex nimîâ humiditate in se, vel circum se detentâ, cum aliquâ debili caliditate exteriori, vel inferiori, putrescit in se, ex quâ deinde putredine, quæ in illâ terrâ nascuntur, ut sunt olera grana, & id genus fructus, retinent in se qualitatem illam malam putredinalem; ita ut si comedantur non solum ab hominibus, verùm & ab alijs animantibus diversas generent ægri tudines, & aliquando mortiferas,



secundum diversos gradus putredinis. Vapores præterea, qui ab ipsâ elevantur, si corpus extracontangant, inficiunt; sæpeq, visæ sunt plantæ interiisse ex alteratione corruptivâ terræ. Pariratione de aquæ putredine dicendum est, etenim ex jam dictâ humiditate, & calore debili fit alteratio putrescibilis. Quare & pisces & alia quamplurima in ipsis aquis putridis nascentia, vel morantia, si edantur, malas gignunt ægritudines, ac etiam si ipsa aqua sic alterata, quis uti voluerit, vel bibendo, aut carnes & alias res coquendo, vel aliter miscendo, malos gignet morbos, similiter & aer si alteretur à jam dictis qualitatibus excedentibus, cùm ex ipso spiritus cordis refocilletur per inspirationem pessimas facit ægritudines. Igitur omnibus istis, vel in se, vel per aliud ita alteratis, ut putredinalis ipsis accidat alteratio & à propriâ naturâ egrediantur, necessarium est ea minime pro operationibus vitæ necessarijs convenientia fieri, immo perniciosas præparant dispositiones. Sæpe & hujusmodi elementa communicant sibi alterum alteri suam malam qualitatem, ut terra aquæ, & aeri, aqua terræ & aeri, aer terræ & aquæ, ita ut sæpe inter se suas malas qualitates communicent & contingantia inter se corrumpant, vel per ea, quæ cum ipsis sunt, ut putà aerem & terram alterari à nimia pluviâ, vel ex rabidâ solis caliditate, aut à vaporatione paludum putridarum, & ex inundatione, aut à re putridâ seu paratâ putredini, vel transeunte per putridum solum. Sed aer putrescit ab omnibus istis, quoniam terra & aqua, cum recipiunt



cipiunt putredinem communicant suos vapores aeri, sicq; eum ad ulteriorem putredinem parant, sunt & multa alia, quæ aërem inficiunt, ut cloacæ \* putridæ, sterquilinia, acerui rerum putridarum, loca aquis inundata, ut sunt loca, in quibus ricium feminant & ubi linum macerant, sed inter cætera sunt corpora animalium mortuorum & non tumulorum vel crematorum quando corrumpuntur, quorum meminit Galenus in libello de differentijs febrium, addens quod communitas vaporum delatorum à longissima regione, scilicet ex Æthiopiâ, † a ventis possunt aërem inficere, ex quâ infectione febres pestilenciales per regionem illam gigni possunt. Et quandoq; dicta elementa à propriâ naturâ mutantur ita, ut neque animalia bruta in ipsis degentia diu vivere possint, attamen causæ hujus rei sæpe ignorantur. Quæ ita alterata pestiferas causant ægritudines, verbi gratiâ in caliditate & siccitate, sicuti quando sol est in corde Leonis in diebus canicularibus, etenim ex caloris vehementiâ calefit & exiccatur terra, aqua etiam & aer, ex quâ in proportione & caloris excessu, sæpe coloni & qui messem curant, nimiâ & intollerabili caliditate messem dimittunt, cùm non possint sustinere vehementissimum solis calorem, terrâque inde exiccatur, ac sterilis fit, similiter, & aquæ alterantur (ut sæpe dixi) unde sequuntur jam dictæ ægritudines, & sunt tanquam causa primitiva extrin-

seca

---

\* Aliæ putredinis causæ cloacæ putridæ, &c. corpora animalium mortuorum. V. Mead. p. 3. † V. Mead. p. 14.

seca ex inæquali aeris proportione à nimiâ solis caliditate, aut quoniam non sunt venti, \* vel est privatio pluviae. Similiter fit à frigiditate, sive fuerit ex ventorum septentrionalium sufflatione, sive ex distantia solis ab aliquo loco, sive ex non rectâ radiorum inspectione, vel quomodocunque fit, nimiâ frigiditate alterantur elementa, cum frigiditas sit de virtutibus activis, quæ potest suâ actione destruere caliditatem conservativam aeris, quâ debilitatâ facile putrescit, cum sit humidus. Etenim una causarum putredinis, est frigiditas dominans calori intraneo extinguens, cum quâ præter malignitatem pestiferam putredo agit in corpus nostrum, fit condensatio meatuum à nimiâ exteriori frigiditate, quare ipsa prohibita transpiratio putredinis causa est, & aliquando pestiferæ febris, secundum humorum præparationem, & ista erit pestilentialis febris à causâ intrinsecâ; quoniam mala qualitas pestifera non est exterior, tametsi causa obstruens meatûs fuerit primitiva. Etenim in præcedentibus dictum fuit hanc febrem differre ab alijs putridis febribus in modo susceptionis, quoniam aliæ febres putridæ, habent prohibitam respirationem causam facientem ad putredinem humorum. Et ista sine hujusmodi prohibitâ respiratione fieri sæpe possint, scilicet à contactu extrinsecæ putredinis aeris, vel alterius rei vaporosæ per poros susceptæ, non tamen diu putredo, sive humores putridi esse possunt, quin faciant obstructions & prohibitam respirationem.

Quare

---

\* V. Mead. p. 4.



Quare notare oportet febrem pestilentialem sæpe posse incipere nullâ prohibitâ transpiratione præcedente ut causâ. Ab humiditate præterea aerem posse corrumpi nemo dubitat, cum, humiditas mater putredinis sit, & causam corruptionis, atque omnium malorum sapientes omnes humiditatem dicant. Qua propter cum in jam dictis humiditas superflua ac inæqualis fuerit, alterat corpora alteratione ad febrem putridam suscipiendam. Neq; desunt rationes demonstrantes siccitatem in elementis causare febrem, cum siccitas sit lima caloris, tabescunt enim nimia siccitate corpora, ac inflammantur inflammatione forti & extraneâ, quod si nimia fuerit & infrigidet, ex infrigidatione & improportione qualitatum inter se redditur corpus putredine paratum. Et ut omnia unico verbo perstringam, quacunque improportione data in elementis mutantur corpora in ipsis degentia. Hujusmodi mutationes corrumpunt elementa, sive mutant secundum partem eorum naturales qualitates, à quâ mutatione sequuntur febres pestiferæ, ac perniciosæ, quæ sibi varia accidentia associant, ut est tabes, tussis sicca, fluxus ventris mali, sudores frigidi, pustulæ seu papulæ, ac maculæ diversæ sine eminentiâ, apostemata & putrefactio membrorum, & quamplurima alia, quæ mutationes temporum non solum ab antiquis visæ sunt, sed etiam a nobis. Collige igitur quod elementa alterata tam a qualitate manifestâ, quàm occultâ, communicant talem qualitatem corporibus præparatis per vapores,

pores, ut est videre in sterquilinio putrescente, a quo sensati elevantur vapores, qui ingredientes poros vel meatus; & maxime per os & nares inspirando & alias vias, ut sunt oculi, & aures, cum verò sint putridi aut affecti qualitate pestiferâ, dum tangunt membra humores & spiritus corporis inficiunt eâdem putredine, vel qualitate veneficâ, quali ipsi infecti sunt, cum agens quodcunq; non agat primò nisi per virtutem excedentem. Quæ qualitas prior impressa serpit per partem post partem, ita ut una pars alteram inficiat, usquequo suam imprimat similitudinem, quæ aliquando toti corpori communis est, & aliquando uni, vel pluribus membrorum, similiter & aliæ res, ut sunt cibi mali, inficiunt corpora parata, inter quæ sunt corpora habentia superfluitates fætidas, quemadmodum sunt, qui ex immunditiâ, aut a propriâ complexione fætent, fætore horribili, ut sunt Hebræi, Æthiopes, & Cucullati quidam. Nam cum in stomacho cibi mali putrescunt, sive ante conversionem, aut digestionem, sive post, cum talia corpora fætentia, vel malas multiplicantia superfluitates, sint paratissima inficiuntur. Et factâ malâ chili præparatione per venas, corpori toti communicatur, atque etiam odores mali per nares suscepti, si a re putridâ elevantur, inficiunt. Sed ut omnia clara sint, ad hoc etiam aliquid addam. Nam causæ antecedentes febris pestilentialis, & conjunctæ, sunt causæ intrinsecus agentes, suntq; partes nostri corporibus infectæ tali qualitate pestiferâ, scilicet humores, spiritus, & membra,



bra, in quibus omnia genera febrium comprehenduntur. Enim vero, quoniam. Hæ partes infectæ sunt dictâ qualitate venenosâ, febris pestilentialis fit, dixit namque Galenus sexto de locis affectis, generari venenum ex humoribus in corpore, idq; agere actione mala. Hoc idem dicendum est de causis conjunctis, quæ, & si ab antecedentibus pendeant, attamen quoniam distinctæ ab ipsis esse possunt, ut apparet de obstructione, & putredine, ideo distinctas medicas causas ponunt; quæ cum non sine subjecto sint, per quod agunt, sunt corporales, quemadmodum humores, & vapores putridi, vel calefacti petentes, cor, in eoq; existentes, cum prædictâ venenosâ qualitate extraneum accendentes calorem, qui per arterias & venas toti corpori communicatur, nisi impediatur. Nota tamen quòd cum humores, sive massa humoralis sapiat naturam aeris, quæ calida & humida est, & putredo non fiat sine caliditate & humiditate, ideo hæc de causâ ab ipso aere alterantur humores sive massa humoralis est. nam massa humoralis ex sui naturâ inflammabilis, quare ab extrinsecis faciliè alteratur. Collige igitur causas primitivas febrium pestilentialium esse aeris intemperiem, \* vel aliorum elementorum, tam in qualitatibus manifestis, quàm in occultis, quæ alterando partes nostri corporis ad suæ naturæ corruptæ similitudinem mutant, usque ad cordis substantiam venenosam qualitatem communicando. Neque ac-

rem

---

\* Aeris intempercis. V. Mead. p. 4.

rem infectum qualitate pestiferâ in manifestis quantitatibus multum excedere est necessarium, tamen si imprimat impressione mortiferâ, quæ interficit sine vehementiâ caloris & aliorum accidentium. Et inter primitivas causas, ut superius dixi, sunt res omnes putridæ, præsertim corpora mortuorum, etiam si in longissimâ essent regione, cum venti ex illâ regione, perflantes deferant hujusmodi aeris vapores putridos, item apertio locorum subterraneorum, ut contigit tempore terræmotûs, quoniam sæpe terra aperitur ita, ut vapores ibi diu detenti & putridi aerem inficiant, sunt etiam evaporationes malarum aquarum & paludum, præsertim ubi seminant ricium, nam vapores talium locorum aerem inficiunt ita, ut qui prope habitant facillime incidant in febrem pestilentialem, & videtur lenta cum gravitate capitis quibus anhelitus foetet, ac etiam narium exhalatio, similiter mollitiones rerum putridarum, ut sunt coria & hujus generis putrida. Etiam comestæ res putrescibiles mali chymi, & præsertim carnes putridæ febrem pestiferam sæpe generant. Et temporum inæqualitas, est maxima causarum teste Hippocrate, cum jam dicto cœli vel syderum & stellarum influxu disponente elementa & alia corpora inferiora.



## C A P. VI.

## De signis futuræ ac presentis febris pestilentialis.

**D**ividamus signa secundum duplex genus. Etenim quædam febrem pestilentialem futuram minantur, quædam vero præsentem ostendunt. Dicamus ergo cum sapientissimo Hippocrate, si quatuor temporum qualitates, & dispositiones non servaverint naturam suam, sed fuerint obscuraciones solis & tonitrua extra suum tempus, fuerintque pluviam multam, ac apparitiones quarundam stellarum, ut sunt cometæ & aliorum vaporum, qui accenduntur, & in modum stellæ cadentis videntur hæc omnia signa aeris mutationem manifestam ostendunt, cum sint exhalationes aeris mali. Præparantia verò corpora inferiora sunt tempora non proportionata, ut est aer diversus cum paucitate pluviam, nebulosus ita, ut ostendant pluviam futuram, & tamen non pluat, sed remaneat aer turbidus cum caliditate æstuosâ, aut etiam si pluerit remaneat tamen hujusmodi caliditas æstuosâ, quod etiam malum est si in fine veris frigus superveniens metus astrinxerit, quoniam præparabit humores ad æstatis putredinem, similiter etiam si æstas calida & humida \* fuerit, vel calida caliditate urente ad putredi-

---

\* V. Mead. p. 3.

putredinem præparabit. Nam caliditas urens sane, cutem exsiccando, meatus abstringit, & fit prohibita respiratio, ut contingit in diebus canicularibus, similiter & privatio ventorum, & solis obscuratio ob aeris crassitiem, præsertim si post veris inordinatam, constitutionem, cum frigiditate obstruentem meatus fuerint, præparant, & sunt signa futuræ febris pestilentialis. Præterea æstas si fuerit calida caliditate æstuosâ, vel si fuerit frigida & inæqualis, ac in suis diebus in lumine diversa, cum diei ac noctis diversitate longinqua à naturali suâ dispositione, cum ventorum sufflatione, futuram febrem pestilentialem ostendit. Insuper autumnus calidus & humidus, aut frigidus turbulentus & pluvius cum sufflatione malorum ventorum qui illius regionis fuerint, dixi illi regioni, quoniam sunt quidam venti cuiusdam regioni insalubres, cæteri vero salubres ut est Venetijs meridionalis ventus, qui & si multis regionibus noxius sit, attamen Venetijs cum ex mari proficiscatur salubris, aut certe innoxius est. Quod si etiam apparuerint tonitrua, cometæ ac evaporationes accensæ, veluti stellæ cadentes, & aeris ignitiones certam febrem pestilentialem futuram enunciant. Præterea si hyems calida cum multitudine nebularum & sine pluviâ fuerit, vel etiam nimis frigida & sicca, quoniam corpora debilitat, est causa non per se; sed per accidens, vel si fuerit cum quadam exhalatione vaporum super terram, & sine ventorum sufflatione, ita ut aer caliginosus permaneat, Solque suis radijs hos vapores penetrare non possit, sintq; conditiones pluviarum &

tamen



tamen non pluerit, sed aer tenebrosus maneat cum aliquo calore obtuso, vel etiam si nimium pluerit, & aquæ abundantes aerem corrumpant; hoc in quocunq; tempore fuerit, vel quomodo-  
 cunque aliter, cum jam super coelesti influxu futuram omnino pestem ostendunt. Neque ignorare oportet corpus nostrum indigere inspiratione proportionatâ tempori, quâ deficiente fiunt malæ ægrotudines. Sed inter cætera signa futuram febrem pestiferam ostendentia est multiplicatio animalium, quæ ex putredine generantur, ut sunt locustæ, muscæ, vermes, & alia id genus animalia non solita in illâ regione apparere. Notabis tamen homines qui in aere malo educati sunt, minus paratos esse ut in hanc febrem incidant, idque est aut quòd assueverint putrido aeri, (assueti enim minus læduntur quàm insueti,) vel quoniam aer non est paratus suscipere pestiferam qualitatem, quanquam sit malè affectus, vel ex utroque; & istâ ratione qui in càrceribus sunt non ita ægrotant. Etenim longè distat qualitas à qualitate tam in manifestis, quàm in occultis. Cum igitur in aquis aliquod signum putredinis apparet, quod cognoscitur, quoniam præter propriam naturam fiunt turbidæ, aut sapor in ipsis mutatur, vel odor, vel quia caliditas quædam insuavis & in substantia limositas videtur, vel quòd mutata sit ad aliquam aliam qualitatem ita malam, ut pisces & alia animalia degentia in ipsis moriantur, vel ab ipsis fugiant; & etiam si animalia, ut armenta, pecus, & alia ex ipsarum potu vel ægrotent, vel moriantur; sæpe enim ex terræ putredine aquæ,

quæ ex ipsâ terrâ scatent, vel super eam transeunt, corrumpuntur, quòd si in ipsis aquis animalia nascantur, quæ ex putredine gigni solent, aut quæ non solita sunt in ipsis nasci, utputà ranæ, vel pisces quidam mali, aliaq; ejus generis, aut quòd in ipsis nascantur herbæ malæ putridæ, ut est alga, & cannæ, vel etiam si diutiùs morentur in locis paludosis, vel in non paludosis, aut si in ipsis aquis ponantur quædam ut molliantur, quemadmodum linum cannabis, & spartum ex quo funes conficiuntur; ita etiam pelles quas coriarij aquis molliunt, hæc omnia aquam corrumpunt. Quâ corruptione cognitâ futuram febrem pestilentialem prædicere potes. Terræ verò putrefactæ signa sunt animalium ex putredine nascentium multiplicatio, ut sunt mures, ranæ terrestres, (quas bufones vocant, & etiam rubetas,) serpentes, ac vermes quamplurimi, & alia, præsertim si minimè in illis locis nasci consuevêre. Ista enim vel imprimis ostendunt putredinem terræ, per quam futuram pestem dubitare non oportet, & est signum vulgare, ac rationabile, quod si cum istis quoque animalia in cavis terræ degentia derelictis subterraneis cavernis aufugiunt, ut sunt talpæ, cuniculi, lepores, vulpes, & hujusmodi, vel si mortua per sylvas, & nemora, vel prata inveniuntur, tunc certam pestem futuram ex terræ corruptione enunciat, & eò magis si pascua animantibus mortifera, aut insalubria videris, vel alia terræ nascentia degenerare cognoveris, ut fructus omnes & grana cætera, utputà si cum tritico infelicis lolij copia nascatur, vel etiam in alijs

olcrib us



Oleribus mutationes appareant, à quorum esu  
 sequuntur sæpe, si mala fuerint, angustia &  
 anxietates stomachicæ. Vel etiam si sterilis ter-  
 ra affecta sit, ita ut non germinent plantæ suo  
 tempore, aut non nascantur femina, seu quæ  
 sponte nasci deberent, vel quòd orta monstrosa  
 sint. Quòd si etiàm terræmotus præcesserint, à  
 quibus terra aperta fuerit, & ex profundo ipsarum  
 cavernarum vapores, qui diù retenti fuerint,  
 egrediantur putridi & male olentes, grossi & tur-  
 bulenti, timenda est pestis futura. Nam sæpè ex  
 effossione alicujus putei diù occlusi secutæ sunt  
 in illis locis ægri tudines malæ & mortiferæ, &  
 etiàm ex effossione paludum, quemadmodum  
 Venetijs anno. 1535. dum fodiebant paludes  
 prope litora versus locum, quem sanctum Eras-  
 mum vocant, & etiam propè continentem in  
 loco, quem luporum puncta dicunt. Etenim  
 meâ quidè sententiâ, quoniam uno tempore in  
 ambobus locis fodiebant per autumnum & hyc-  
 mem, superveniente vere, calefactis vaporibus  
 qui continuè exhalabant, facta est aeris malitia,  
 à quâ secutæ sunt febres pestiferæ cum anginâ,  
 & apostemate pleuritico, hincq; multi juvenes,  
 senes, viri, & foemellæ, sine discrimine perierunt;  
 communis enim fuit ægri tudò.

Signa præsentem febrem ostendentia sunt in  
 duplici genere, quoniam quædam sunt com-  
 munita & quædam propria seu particularia. Com-  
 munita dico quando fere omnes, vel pro majorè  
 parte, qui ægrotant, febre pestilentiali & con-  
 tagiosâ ægrotant: & ideo cùm in civitate, vel in

provincia videris homines cujuscunque sexûs & ætatis, divites & pauperes, malas res, sive bonas comedentes, laborantes, vel vitam otiosam ducentes, febrificare simili febre, vel in unâ domo multos, unum scilicet post alterum, vel in eodem tempore; & ægritudo sit cum accidentibus malis, ut sunt alienationes, animi defectus, & pulsus, aut pulsûs mutatio, & urinæ diversitas, apparuerintq; apostemata in emunctorijs, aut carbunculi in alijs membris, vel variolæ, aut morbilli & aliæ maculæ cutaneæ diversi coloris, signum commune est febris pestilentialis à causis exterioribus factæ. Propria verò sive particularia signa, scilicet quæ in particulari homine febrem præsentem pestilentialem ostendunt, tametsi aliquando decipiant, sunt ista quæ si diligenter inspecta & maturè considerata fuerint, ostendunt sine hæsitatione medico veram cognitionem febris pestilentialis. Incipiam igitur ab his, quæ secundum essentiam in febre accipiuntur. Febrificanti febre pestilentiali sæpè calor exterior non vehemens sentitur, intus verò respectu aliarum febrium ardentissimus est, ita ut sæpe visum sit ob nimiam intrinsecam caliditatem hos sese in puteos,\* & aliam aquam projecisse. denudant enim se, & linteamina, aliaq; coopertoria projiciunt; sæpenumero verò calor exterior est ita vehemens in pectore & universo corpore, ut ma-

nus

---

\* Vid. Lucr. l. 6. sub finem.

*In fluviis partim gelidos arentia morbo*

*Membra dabant ----*

*Multi precipites lymphis putalibus altè,*

*aciderunt. ----*



nus eum vix ferre possit, quæ febris ut plurimum sine intermissione, & continua est, attamen aliquando incipit cum frigore, non tamen semper, nec ob id procedunt paroxysmi sive accessiones cum intermissione, sed continuantur, quod etsi aliquando quotidie intermittentes visæ sint, hoc rarum est. Pulsus etiam ut plurimum debilis est, & parvus à principio, aliquando tamen fortis, sed non diu permanet, quoniam sit diversus, & malus, velox, & frequens, quam frequentiam à parvitate fieri rationi consonum est, & sic videtur in pulsu non esse magnam alterationem, sed quando comparatûr elevatio pulsûs ad depressionem, depressio major est. Sæpe etiam primâ die cadit virtus, istis etiam sæpe lipothymix, vel animi deliquia accidunt & frequentia anhelitûs, qui sæpe cum foetore non parvo est, suntq; tristes, inquieti, ac intus, ut dicebat princeps, conturbati, & quando caliditas est intus in pectore, tunc magis conturbantur, & exteriores pectoris partes ardentissimè calent. Sunt præterea nausea, & dejectiones appetitûs, & vomitus, & tensiones hypochondriorum; facieiq; mutatio à naturali suâ habitudine in colore & figurâ etiam est signum malum. Quòd si os inspicias (ut in laborantibus febribus pestilentialibus inspicere debes) invenies rubedinem ustivam, ac fissuras ex nimia caliditate, quæ, cum est vehemens & linguam denigrat, & sæpe à primâ die alcola apparet, & in gutture pustulæ parvæ diversæ in colore, ac si essent ex genere formicarum, quæ, etsi febris non fuerit vehemens, maximam malitiam morbi

ostendunt. Sunt præterea aliquando apostemata, quæ squinantias vocant, & tusses siccæ, quæ sæpe hanc febrem concomitantur. Sunt & inquietudines, alienationes, stupores, lassitudo membrorum, & motûs voluntarij difficultas, sunt immemores, surdi, vertiginosi propter malam materiam in cerebro, vel propter vapores ab alijs membris ad caput ascendentes. Urinæ præterea ut plurimum turbidæ & veterinariæ, sive subjugales sunt, sine sedimento; quod si sedimentum est, multum, lividum, globosum, & etiam sæpe divulsum, ac commistum apparet, & ita secundùm diversitatem extranei caloris in hepate, ac dominium humorum, rubens, livida, nigra, crassâ urina mingitur, quam sæpe calor naturalis minimè regit, sæpe tamen primâ die urina bona in colore, substantiâ, quantitate, & contento apparet, & est quoniam nondum nocumentum ad hepar & emulgentes venas communicatum fuit. Quandoq; etiam urina est subtilis, aquosa, lymphida, sine sedimine, vel cum parvâ quâdam nubeculâ divulsa & alba, vel diversa, frequenter; etiam plurimùm aquosæ urinæ minguntur, cùm jam calor naturalis deficit, quæ nec digestæ, nec coloratæ sunt, & hoc fit non solum ab imbecillitate caloris, verùm etiam ex oppilationibus venarum, & vesicæ fellis meatuum, quod si in principio fit, nondum calor febrilis regionem jecinoris & venas propinquas attigit; Sed mirantur medici cum urinam in substantiâ, colore, & sedimine inspiciunt bonam, & tamen æger malè habet; hoc autem est ex dictâ ratione, & etiam quod de



de ratione materiei, aut qualitatis venenosæ non est mutare substantiam urinæ in subtilitate, vel crassitie, aut colore. Præterea fæces sunt lenes, spumosæ, foetidæ, natantes, diversæ in colore propter caloris imbecillitatem à venenosâ qualitate destruyente virtutem spiritûs, quæ fæces sæpe sponte excunt, vel suâ qualitate stimulante vel virtute jam imminutâ non retinente. Neq; cum tali evacuatione allevantur; immo cum hujusmodi fluxu sæpe tendunt ad mortem, sæpeq; in tali secessu, vermes non pauci apparent, & est corruptionis maximum indicium: vomitus, & frequenter malus apparet, cholericus videlicet, & sæpe niger, viridis, ac diversus, cum odore gravissimo, sudores etiam sunt frigidi, & ad summum omnes superfluitates, scilicet egestiones, urinæ, sputamina, mucositates, & anhelitus foetentes, cum non regulentur à calore naturali. Præterea sudores sunt frigidi, diaphoretici sive resolutivi, qui cum apparent, propinquam mortem denunciant. Sæpe etiam apparent pustulæ, & maculæ diversæ, in substantiâ, quantitate, & colore, ut sunt variolæ, morbilli, & aliæ papulæ, & maculæ, quas vulgò petichias, ego rectius pestichias nominare volui, quæ universo corpori evenire consueverunt, sed frequentius in dorso, pectore, natibus, & hypochondrijs, quæ quando lividæ, aut nigræ sunt, perniciem minantur: apostemata etiam emunctoriorum mala sæpissime apparent, præcipue in inguinibus, sub alis, & post aures etiam, quæ sunt diversa, & quandoque magna & aliquando parva, neque ex toto sunt

diversa, ut phlegmones perniciosi, & carbonēs  
 adurentes ac mutantēs membrum ad rubedinem,  
 lividitatem, viriditatem, & nigredinem, cum  
 quibus sæpe membri corruptio sequitur, cum  
 sint à materiâ malignâ. etenim carbunculi nul-  
 lum sibi locum corporis terminatum habent,  
 quod est, quoniam materiâ jam ad membra exte-  
 rius mittitur, naturâ sive virtute sequestrante.  
 signa quæ futuram malignitatem in pestilen-  
 tiâ ostendunt, sunt pluvix jam dictæ diutur-  
 næ, longæ, inundationes aquarum universales,  
 caliditas æstuosa per totum annum, obscuritas  
 solis, quæ fit ab aeris crassitie, & malis vaporibus,  
 caliditas matutina cum tenebrositate, & ca-  
 ligine, quæ si terræ sterilitas ad hoc accesserit, &  
 corporum superiorum influxus, ut sunt eclipses  
 Solis & Lunæ, & conjunctiones trium planeta-  
 rum superiorum in signo humano, ut volunt  
 astronomi. Proculdubio hæc signa ultimam ma-  
 lignitatem febris pestilentialis futuræ minantur.  
 Quòd si, ut sæpe visum est, aliqua signa aeris, vel  
 aliorum elementorum, & reliquorum ex dictis,  
 in unâ parte temporis fuerint mala, & in aliâ  
 parte aliæ sequantur mutationes corrigentes, vel  
 corrigere potentes priorem constitutionem, spe-  
 randum est pestem non futuram, aut certè minus  
 mortiferam. In regionibus verò, ac civitatibus  
 aliquando aeris futuram malignitatem pestiferam  
 facilius credere possumus, si fuerint calidæ cum  
 multâ humiditate, sive hoc per se, sive per acci-  
 dens fuerit, hujusmodi verò alterationem denotant  
 & tempora anni in ipsis diversa, & vapores palu-  
 dum



dum vel aliorum locorum putridorum, & ventorum flatus, ut sunt meridionales, aut coinquinatio aspectuum cœlestium ad illam regionem, vel civitatem, in quâ degentes sunt pingues, otiosi, bibuli, & multum comedentes, ut sunt spurci Mahumetani, quorum corpora cachochy-  
 ma sunt, ac multitudinem superfluitatum acervantia, & sunt apta ad suscipiendum sine resistentiâ, ex Galeni doctrinâ, quare in talibus, regionibus, civitatibus ex hominum inordinato victu, & alijs dictis expectanda est in pestilentia ultima malignitas. Sed ubi \* corpora sunt munda ac regulariter viventia, in illis regionibus minus patiuntur, sicq; minus malignæ erunt febres. *Signa* verò quæ ad præsentem malignitatem ultimam, aut non ultimam faciunt, tametsi sæpe & medici, & ægro-  
 tantes decipiantur, quoniam sæpe ut dixi moriuntur ægri sine vehementia exteriorum accidentium, & sæpe evaserunt, qui cum multitudine malorum accidentium fuerunt, erunt ista: in primis cum patiens febrem pestilentialem anxius, *inquietus, cum diversitate pulsus, & debilitate* fuerit, tametsi calor exterior non validus sit, signum est materiam esse cordi vicinam, aut ipsi valde communicantem suam malignitatem, quod signum malum est; quod si cum hoc *facies mutata fuerit, & livida vel rubra, ac ad nigredinem* declinans, non æqualiter sed inæqualiter, & *urina turbida sine sedimento* in modum musti, mortem propinquam judicare oportet, & præcipuè si *excrementa*

---

\* V. Mead. p. 42.

*crementa intestinorum* diversa exierint, *lutea*, scilicet *natantia*, *pinguia*, ac *fœtentia* fœtore horribili, atq; etiam si *vomitus diversus* fœtidusq; fuerit, quòd si istis associantur *sudores frigidi*, *resolutivi*, quos diaphoreticos vocant, & *animi defectiones* & extremorum frigiditates fuerint, etiam sine sudore, ac apostemata inguinum, vel tubercula per universum corpus, & aliæ papulæ apparuerint, ut sunt carbunculi, variolæ, morbilli, *pestichia*, in quibus *color sit malus violaceus* scilicet *lividus*, *viridis*, & *niger*, *sintq; tardi exitus*, & ex eorum apparitione æger non allevetur, signa perniciosissima sine spe sunt, & eo magis si *anhelitus fœtidus* fuerit, quoniam confirmatam putredinem in regione cordis ostendunt. Quod si ex prædictis signis malis aliqua bona fuerint cum fortitudine virtutis, prorogabitur ægritudo, sed semper exitus incertus est, & timendus, quoniam dicebat Hippocrates secundo aphorismorum, Morborum acutorum non esse pronunciationes certas salutis, aut mortis: attamen si apostemata inguinum, carbones, variolæ, morbilli, & pestichia fuerint nigræ, semper perniciem ægrotantis demonstrant. Et quoniam diximus hanc febrem in tribus generibus febrium sine controversiâ fieri posse, & non solum in generibus tantum sed in eorum speciebus, ideo eas cognoscere oportet ex proprijs signis attestantibus caliditatem accensam esse, quemadmodum in hujusmodi materiâ cognoscitur *tertiana per caliditatis vehementiam* & *mordacitatem*, perq; *excuntia cholericæ*, & *periodos*, quæ de tertio



in tertium fiunt, ac alia signa naturam cholerae consequentia, quare istis apparentibus tertianam pestiferam febrem judicabis, pari ratione de *continua*, *quotidianâ*, & *quartanâ* judicando procedere oportet, scilicet non solum per periodorum accessiones, & decessiones, verum etiam per alia signa magis propria, quoniam dixit Avicenna primâ quarti, errare eos qui judicant naturam febris per paroxysmos, cujus etiam meminit Galenus, primo aphorismo. sed eæ quidem febres per signa, quæ humores putrescentes ostendunt, cognoscuntur si putridæ sunt, si minus, & si vaporum ac membrorum solidorum inflammationem ostendant, aliæ febres erunt. Dico hoc, quoniam posui *hecticam pestilentialem*, quæ quoniam raro est incipiens, ut testatur Galenus, ideo erit difficile eam in principio cognoscere, sed in processu si prorogabitur, cognosces ex caliditate magis imprimente per moram manus tangentis pulsum, & per duritiem ipsius & alia signa in febre hecticâ, quæ ipsam sequuntur posita, ut est consumptio sive siccitas membrorum, & reliqua, una cum accidentibus febrium pestilentialium. Quòd autem *febris hectica fieri possit* incipiendo puta in æstate ex nimia caliditate, & siccitate aeris, vel ab aliâ quâvis causâ sive, extrinsecâ sive intrinsecâ, nemo sane doctus medicus dubitat. Similiter *ephemera* ex signis proprijs cognoscitur, tametsi raro ad manus medici hæc febris veniat, cum sit unius diei febris, ac rarissimè ad tertium prorogetur, & ægri non nisi manifestâ læsione perceptâ medicos consulant

lant. Hæc tamen dixi ut acumen ingenij legentium magis excitaretur. Sed ad rem revertamur, & est signorum notitia, quæ perniciem non omnino ostendunt, quamvis non sine timore sint, in primis sunt hæc, si febris fuerit proportionalis ætati, complexioni, sexui, tempori, consuetudini & alijs, minus semper erit metuenda, præsertim si non fuerint accidentia fortia dicta superius, nec continuata; nam in talibus ut plurimum ægroti evadunt. Sed ex parte ægri requiritur, quòd virtus fortis sit, & ipse etiam non sit repletus malis humoribus, sitq; animosus, benè sperans, ac ad ea, quæ sibi offeruntur ad comedendum benè se habens, ac libenter accipiat, neq; sit intrinseca conturbatio, sitq; obtemperans medicis, & astantibus, & inter cætera signa salutem ostendentia est, quod ex remedijs factis, sive fuerint alterantia, sive evacuantiâ medicamina, sequatur allevatio in febre, & accidentibus, ita ut in dies appareat remissio caliditatis febrilis, pulsusq; fortis fiat, & urinæ ac aliæ superfluitates meliores exeat, operationes etiam incolumiores habeat æger, ita, ut si dormierit, ab ipso somno instauretur, sed fortitudo pulsus cæteris signis melior est, neq; decipiaris, quoniam dicebat Avicenna, secundâ quarti, quòd sunt quidam pulsus mali, diversi absq; ægritudine, quare oportet in judicando hoc scire; notabis etiam quod & si digestionis apparitio in urinis significet victoriam caloris super materiam facientem febrem & per consequens sit signum salutis, attamen in febre pestilentiali signum fallax est. Postremo quòd



te adnotare oportet, est in apparentibus, five supervenientibus apostematibus, tuberculis, & papulis, quòd si sine labore exierint, citoq; apparuerint, atq; cùm allevatione febris, & accidentium ipsius, fuerintq; boni coloris salutem promittunt, quòd si contra fuerint, scilicet quòd egrediantur cum labore, tardè, & malè colorata, accidentiaq; non remittantur, perniciosum est signum. Satis hæc sint de signis perniciem & salutem ostendentibus.

---

## CAP. VII.

Ostendit corpora præparata ad suscipiendam febrem pestilentialem.

**P**Ræcognitiones maxime necessariæ ac utiles sunt, cùm sæpe multi præserventur à febre pestilentiali corpora parata contrarijs qualitatibus muniendo. Cùm sint igitur corpora quædam sexu & ætate, ac complexione magis apta, quæ incidant in hanc febrem, attamen minimè dicendum est, ut multi dixerunt, corpora ea scilicet magis parata esse ad suscipiendum omne genus febrium pestilentialium, quæ calida & humida sunt, cùm tamen corpora quædam cholericæ & juvenilia aliquando sint magis parata putà tempore æstivo, & ardentissimæ caliditatis, febri pestiferæ de genere tertianarum, quàm cætera

tera alia, quoniam cum cholera sit subtilis, calida scilicet & sicca, est magis inflammationi parata. Verum & corpora sanguinea in praesupposito casu, cholericæ consequuntur, attamen magis periclitari solent, ex improportione in humoribus; præter pestiferam qualitatem, cum lapsus corporis sanguinei sit major quam cholericæ in jam dicta febre cholericâ. Et è contra, quare oportet ea semper diligenter perpendere, quæ dicta sunt, anni scilicet temperiem & regionem ac consuetudinem, tum \* regimen cibi & potus, tum exercitationem & alia cum ex istis corpora magis & minus parata reddantur. Sed cæteris paribus *corpora latorum meatuum & plena malis humoribus paratiora sunt*, & illa quæ *calida & humida sunt* humiditate putrescibili, ac ea, quæ indulgent gulæ & otio. Sunt etiam parata corpora illa, quæ balneis multis assueta sunt. At *frequentèr coeuntia paratiora existunt*, cum non multum resistent, & humida humiditate facta ex resolutione spirituum. Notabis tamen, quod si corpora strictorum meatuum corripiantur ab istâ febre, putà, ex comestione rerum malarum sæpissime pereunt, cum vapores putridi pestiferi, ob meatuum angustiam, non possint extra mitti. Et contrà, corpora illa sunt minus parata, quæ habent laudabiles humores, nec putredini paratos, sine superfluâ humiditate, sed cum caliditate adjunctâ, quæ sint moderata in cibo & potu, exercitatione, somno & vigiliâ, ac se ab amplexu  
venero



venereo abstineant, & maximè si habuerint expurgatorios meatus liberos, ita, ut neq; alvi excrementa, urina, aut aliæ superfluitates retineantur. Hæc verò non sunt contraria dictis superius, cùm corpora cholericæ superius dicta habeant coinquinationem ex humiditatibus, & alijs putredini paratis. Sunt etiam corpora pituitosa seu phlegmatica, & melancholica minus apta ad recipiendum, cùm sint frigida, magisq; resistentia caliditati putredinali. Mulieres etiam non ita paratæ sunt, tametsi humidiores naturâ sint, ac raram habeant carnem; frigidiores enim viris sunt, quapropter cùm humiditas frigiditati associatur, major est resistentia putredinali caliditati, præsertim si febres fiant à caliditate aeris. Verum in sexu mulierum, illæ paratiores sunt, quæ calidiores ac malis humoribus repletæ sunt, hæc verò conditio viris etiam communis est. Senes præterea ex eadem ratione minus parati sunt. Notabis tamen esse quædam corpora rara, tam sanguinea, quàm biliosa suscipientia qualitatem aeris pestiferi sine putredine ab initio, quanquam sint munda à superfluitatibus. Similiter etiam quædam pituitosa, sed minus & rarò melancholica cùm sint sicca, sed quoniam tam pituitosa, quàm melancholica ab aere ambiente, utputa ab hypocausto, quod vulgò stubam appellant, hinc enim factâ præparatione possunt infici, cùm ex hujusmodi caliditate meatus latiores fiant, in his verò, scilicet, phlegmaticis & melancholicis febres pestilentiales pro majori parte sunt mortiferæ, cùm sint corpora debilia in omnibus

omnibus fere virtutibus, & præsertim in vitali, attamen cum pestifera qualitas sit occulta, eâ ratione aliquando contrarium videbis, quoniam sæpissimè corpora, quæ non sunt præparata ex dictis causis a tali febre corripuntur, quæ pereunt: & hoc, ex cujusdam resistantiæ debilitate, & ex susceptione qualitatis pestiferæ per meatus ad membra principalia delatæ, ijq; non caliditatis acuitate pereunt, sed qualitate ipsâ venenosâ & pestiferâ, adde etiam pauperes in sordidis casis, & comedentes utplurimum mala & multa cibaria sunt præparati ad suscipiendam hanc febrem. Si atrabiliosi & senes, aut mulieres aliquando magis à dictâ febre corripantur & in majori numero, cum tamen dicta corpora minus parata sint, hoc ita esse credere oportet, quoniam qualitas pestifera (cum diversa esse possit) talis est ut magis in unum corpus, quàm in aliud agere possit.







*Nicolai Massæ Veneti*

Artium & Medicinæ Doctoris;

Liber de FEBRE PESTILENTIALI.

Procœmium secundi tractatus, qui est de præ-  
servatione à febre pestilentiali, in quo  
regulæ plures generales perscribuntur:



U M ex signis superiùs dictis pestilen-  
tialem febrem futuram timemus, re-  
gulæ præservantes eam evitabunt;  
primum cum regimine exiccante ac  
superfluam humiditatem removente perficitur, hu-  
mida corpora exiccando, siccaq; custodiendo, su-  
perfluitates extra ducendo, ac deniq; oppilatio-  
nes aperiendo. Et ad summum reddere corpus  
mundum ac benespirable est ex causis maxime præ-  
servantibus à febre pestilentiali. Quod fit cum  
regimine aeris, cibi & potus; exercitationis &  
F quietis;

quietis, in motu verò & amplexus venerei continentur, inanitionis & repletionis, somni & vigiliæ, ac animi cogitationum, quæ omnia non uno modo administrari possunt, sed secundum rationem diversitatis complexionis, ætatis, sexûs, regionis, anni temporis ac consuetudinis, cum ex Hippocratis sententiâ, hæ mutationes & diversitates reddant corpora magis ac minus humida & plena. Sed in præservatione causas cognoscere oportet quibus obviando præservatio fit. Quare ex quibusdam signis, ut cum febris in vulgus grassari cœperit, cognosces, à malorum cibiorum comestione fieri. Quod scimus, quoniam ij solum, qui tales cibos comedunt, ægrotant, cæteri minimè. Vera præservatio est hos cibos evitare, ac cum hujusmodi ægrotis nullo modo conversari, quoniam aerem inficiunt, qui postea homines contingendo inficit. At si febris pestifera populetur ex præsentis aeris infectione cognoscitur ex sententiâ Hippocratis, quoniam omnes tam benè, quàm malè comedentes, & juvenes, & senes, & pauperes, & divites, ac ferè omnes sine discrimine ægrotant, aut si sint signa alia ex superiùs dictis ostendentia futuram febrem pestilentialem, ex aeris ambientis corruptione præsentem, vel futurâ, corrigatur ipse aer cum contrarijs ipsum exiccando. Regantur etiam corpora, ne in aliquod genus febrium non pestilentium incidant, puta putridarum, aut ephemerarum, ex inordinato regimine, tum cibi, tum etiam laboris, ac animi cogitationum, & aliorum, quoniam si fieri potest, ut corpus sanum pestife-



rã qualitate corripatur, quanto magis corpus febricitantis ab ipsã malã qualitate pestiferã corripri poterit, cum sit magis paratum: fiat igitur alteratio in corporibus sanis paulatim ad contrarium qualitatis pestiferæ cum exiccatione, moderando secundum diversitatem complexionis & aliorum dictorum, neque sit subitanea, quoniam natura non patitur subitaneas mutationes. Et illis major diligentia adhibenda est, qui vel naturã, vel aliã causã à febre corripri magis parati sunt, aut illo tempore à febre pestiferã corripri videntur, verbi gratiã si invenies ex aeris malitiã, vel alijs magis à tali febre corripiantur, illos magis regulari oportet. quod si putã mulieres magis & plurimæ ægrotaverint, illis major diligentia debetur, eadem ratione in alijs procedere oportet. Etenim ut superius dixi qualitas pestifera magis uni, quam alteri complexionis, ætati, sexui & alijs contrariatur, sicq; corpora quædam paratiora sunt alijs, ex dispositione propriã & ex agentis causæ virtute. Sed inter cætera præservantia laudatur moderata exercitatio, quoniam exiccatur corpus ab omnibus superfluitatibus. Et etiam dimissio frequentis multitudinis & maximè plebis est de illis, quæ maximè præservant, quoniam pauperes & idiotæ malè se in omnibus regunt, & ideo sunt corpora putridis humoribus plena, aut putredini parata, quorum domus sunt semper immundæ & sordidæ una cum indumentis eorum. Fugienda præterea est commistio seu conventio

cum infectis, & non tantum ab hominibus infectis aufugere oportet, verum etiam à locis & domibus ipsorum, utputa à vico & civitate, procul ire tutissima res est, & ab alijs locis. Sed quoniam timor reddit corpus paratum, similiter & alij animi affectus mali, ideo præservat inter cætera intrepide agere, ac *solicitudines* omnes dimittere & reliquas animi passiones effugere, ut est tristitia, ira, & aliæ.

## CAP. I.

De præservatione civitatis à febre pestilentiali per præparationem aeris & aliarum rerum.

**C**onsuevere ferè omnes civitates politicæ, timentes futuram pestem ab alijs infectis locis, vel præcedentem (si jam populari febris pestilentialis cœperit,) ex senioribus & prudentioribus civibus, tribus aut pluribus curam totius negotij mandare, dantes eis auctoritates amplissimas in bonis publicis, & privatis, in personis etiam, ut ex hoc universale bonum procurent. Qui in primis prudentissimi esse debent, ac misericordes, Ministros etiam habentes prudentes & misericordes, qui sint bonæ fidei & habentes semper ante oculos mentis Deum. Hos præsidentes, Veneti dominos salutis, seu provisores sanitatis



tatis vocant. Quare cum aliqua oritur suspicio de futurâ infectione, vel etiam de præsentî vel quoniam aliqua civitas vicina, aut longinqua, cum qua negociantur homines unius & alterius civitatis infecta est, hi provisores, si non sunt creati, subrogentur, quibus ut dixi negotium totum injungatur. Et quoniam dictum est supra duplicem esse processum, scilicet præservativum & curativum, & præservativus nobilior erat curativo & etiam facilior, quoniam cum minori detrimento & solitudine opitulamur, præservando ab ægritudine, quàm ægritudinem curando. Igitur domini provisores isti, si morbus pestifer in aliquâ vicinâ, aut longinquâ civitate fuerit, qui cognoscitur cognitione conjecturali ex multitudine ægrotantium ac cito morientium cum eisdem accidentibus sine ullo discrimine, ita ut & juvenes, & senes, mulieres, & viri, & pauperes, & divites etiam ægrotent, tunc per literas, aut ministros, sive nuncios inquirent modum ægritudinis, atq; sciant accidentia & omnia diligenter perscrutentur, ac loca omnia infecta sciant. Deinde ipsa loca & civitates infectas toti populo manifestent, jussuq; publico imperent venientibus è locis infectis in hisq; degentibus, ne in suam civitatem, & in loca ei vicina accedere audeant, pœnas à legibus institutas injungentes sine exceptione personarum. Et quoniam quandoque peregrini, seu viatores nesciunt præcepta privatæ civitatis, eâ de causâ ministri sint ad fores

F 3

civitatis,

---

\* V. Mead. p. 38, 39.

† Lev. C. 13, 14.

civitatis, ac extra civitatem ad vias publicas confines constituti, qui viatores jure jurando interrogent an à loco infecto veniant, vel sint infecti, & procul abire moneant. Non tamen in eos sæviendo, sed diligentia charitateq; & modestia imperent ut omnino procul secedant, sunt enim homines & fratres in Christo, si Christiani sint. Quare interrogentur quid velint, an egeant pane, aut potu, vel aliis pro refectioe necessariis, porriganturq; ipsis necessaria. Neque timeant accipere pecunias, & nummos sive argentei fuerint, sive aurei, metalla enim non inficiuntur, quod si timent, faciant ipsas deponere in situlam aceti, & nihil amplius erit timoris. Sic licet facere misericordiam cum fratribus alijs, quoniam & nos similiter accipere ab alijs misericordiam, si opus esset, desideramus, præsertim in re necessariâ vitæ, ut est cibus & potus, ea propter huic negotio deputentur viri boni, viatoribus, & peregrinis inservientes, & illis quibus denegatur ingredi civitatem, fideliter necessaria ementes. Empta omnino deponendo in loco procul ab viis publicis, neq; eos prope alloqui, sed dimittere ut ipsi accipiant res ubi depositæ fuere. Quod si fuerit civitas sicut est nobilissima urbs Veneta, sint cymbæ ad hujusmodi negotium diversis in locis, per quas à continenti ad ipsam urbem homines proficiscuntur, sintq; ministri probi, fideles, ac diligentes, qui jurejurando interrogent, & inquirent, à quibus locis proficiscantur, et mox ipsos admoneant. Quod si à locis infectis, aut suspectis venerint, non admittant eos, sed reverti jubent.



beant. Qui si è mari navigiis venerint, minimè e navi descendere concedatur, sed in sua navi quadraginta dies aut plus, minusve, secundum majorem vel minorem suspicionem infectionis maneant. Vel dentur illis domus aliquæ à civitate distantes, in quibus per jam dictos quadraginta dies commorentur. At quoniam contingit sæpe ut non modo ad hanc urbem omnium nobilissimam, verum etiam ad quam plurimas alias, quæ mari proximæ sunt, onerariæ naves onustæ diversis mercibus, & malâ contagione acris pestiferi infectæ, veniant, ideo in adventu cujuscunque navis percunctandum erit à præfecto navis, & nautis, mercatoribusq; qui cum ipsâ navigarunt, unde veniat, & quo morbo laborabant populi earum civitatum, à quibus huc proficiscuntur, & quibus etiam accidentibus dicti morbi associabantur, & an scilicet omnibus eveniebat sine discrimine sexûs, aut ætatis scilicet senectutis, & juventutis; similiter an divitibus, & pauperibus, ita scilicet ut major pars eorum periret; & quæ accidentia concomitabantur eos, qui ex morbo periclitabantur. Etenim si navis è loco veniat in quo multitudo hominum sine discrimine ægrotabat, peribatq; procul omni dubio illæ Civitates peste infectæ erant, & homines morbis pestilentialibus moriebantur. Quare omnes (ut dictum est) interdicanur: ne forte si cum sanis negocientur, vel alio quovis modo conveniant, eos inficient, maneant igitur in suâ navi, vel in domibus dictis & usque ad statutum tempus commorentur. Præterea navis exonere-

tur, & merces ad locum aliquem amplum, liberum, & non conclusum adferantur, ac ibi aeri, ventis solique per plures dies exponantur, & ea quæ lavari possunt, laventur: quæ vero non lavantur, alio genere expurgationis expurgentur, verbi gratiâ suffumigatione ex odoratis rebus in capite de aeris correctione dictis, vel frictione, aut abstersione, abrasione, unctioe, & ejusmodi generibus mundationum, quæ tergere, & exiccare superficiem rerum infectarum possint. Sed cum non omnes mercaturæ malitiâ aeris putridi inficiantur, omnes eas, quæ possunt, & quæ non possunt hanc malitiam suscipere, subscribam generali quadam enarratione, ne fastidio legentibus sim, incipiam autem ab illis, *quæ facillimè inficiuntur, infectæque diu retinent*, & alias res hominesque inficere possunt, si ab eis tractentur, & sunt *lanæ, sive vellera omnia, cottonum, linum, cannabis, sericum, fila, & omnia ex eis ducta*, vel quæ ex eis fiunt, aut texuntur, ut *panni lanei, bombacinei, linei & serici, tapetaque, & pelles, plumæ, & pennæ*, & ejus generis res una cum suis tegumentis, faccis, et funibus. Quæ vero *nullo modo ab aere pestiferentiali inficiuntur*, sunt in primis *metalla omnia*, & ex eis facta, ut sunt *vasa & instrumenta diversa ex ære, ferro, plumbo, stanno, argento, & auro*: & ideo nummi sive denarii tam aurei, quam argentei, aut ærei, nullam pestiferam qualitatem suscipere apti nati sunt *instrumenta etiam & arma ferrea* minimè inficiuntur, quare tutò accipi possunt, quòd si quis timuerit, in aceto ea omnia deponat, vel lavet  
cum



cum aceto, & amota erit omnis infectionis suspicio. Similiter & *gemmæ* & *lapides* omnes preciosi, & *marmorei* minime inficiuntur: *Frumenta* etiam omnia, ut est *tritium*, *far*, *hordeum*, *zæa*, et similia, & eorum farinæ non inficiuntur; legumina etiam ut fabæ, ciceres, lentes, cicerculæ, fassoli, pisa & similia pestilentialem infectionem non suscipiunt. *Sacci* tamen, vel eorum tegmenta, & funes inficiuntur, quare evacuare oportet frumenta, & legumina, deinde sacci, & funes, & alia tegmenta laventur, & purificentur. Præterea fructus non inficiuntur, vina etiam, & aromata. Prædictæ vero cymbæ, ac ministri quotidie ad visendum nautas & mercatores accedant, sciscitenturq; & videant num quid aliquis æger fuerit, sit, vel rursus ægrotet. Et quoniam dictum est supra, aerem putrescentem acquirere qualitatem pestiferam, quæ postea potest etiam ad longinquam partem deferri & alia loca inficere, ideo cum in locis vicinis jam apparet aeris mala qualitas pestifera, quæ cognoscitur, quia ut dictum est, multitudo hominum corripitur febre perniciosâ, ab eaque statim populatur, ne hujuscemodi qualitas communicetur suæ civitati, Provisores & Domini salutis prædicti procurent præparare aerem, ne suscipiat pestiferam qualitatem exiccando civitatis locorumq; finitimorum aerem. Quod fit *cum igne* per omnes civitatis angulos, vias & partes. \* Qui sit ex lignis optimis ac odoriferis, ut est juniperus, cupressus, laurus, pinus, abies

---

\* V. Dr. Mead contra ignes et Hodges.

abies, larex, & cætera ligna habentia resinum, & bene redolentia, eaque ardeant die noctuque, malæ & quanto majores frequentioresque fuerint, tanto magis reddent aerem depuratum & resistentem malæ qualitati pestiferæ. Hoc idem in privatis domibus faciendum est jussu dominorum cum lignis odoriferis, ut supra dictum fuit, quæ si non sunt odorifera, ponatur saltem aliquid in igne bene redolens, ut est ladanum, storax, thymiana, belzui, & similia. Prohibeantur comburi ligna foetida non solum publicè sed privatim, ut sunt ficus, buxi, nuces, & similia, ac cætera, quæ dum comburuntur male olent. Etenim ignis malum aerem corruptum rectificat, & bonum præservat à corruptione. Et ut ex omni parte tollantur causæ præparantes ad suscipiendum malam qualitatem pestiferam in aere, Civitas ab omni sorditie & immundicie purgetur. Sicque latrinas, *cloacas*, & *sterquilinia* omnia mudentur & non solum in civitate, sed etiam in locis vicinis extra civitatem, prohibeantur etiam mollitiones lini, sive cannabis, & aliarum rerum aquas. corrumpentium, & a quibus elevantur vapores aerem inficientes, neque permittant aquas inundantes claudi ita, ut non possint currere, & ibi quiescentes remaneant, quia putrescunt, et aerem inficiunt. Prohibeant etiam dicti provisores venundari res comestibiles, malas, foetidas, ut sunt carnes animalium habentium ægritudinem aliquam, quemadmodum ovium, & pisces degentes in paludibus. Prohibeant etiam vendi triticum malum antiquum, & foetidum, aliaque hujus generis multa, præcipuè id quod permistum habet infelix lolium

Similiter



Similiter & olera mala & foetida prohibeantur, quoniam cibi mali & putredini parati præparant corpora ad suscipiendam pestiferam qualitatem. Quæ vero dicta sunt de rebus comestibilibus intelligantur etiam de illis quæ bibuntur. Cavere etiam oportet eâ de causâ ne malas aquas aut bibamus, aut in eis res comestibiles coquamus, & à quavis alia commixtione. Vina etiam mala & corrupta vendi prohibeantur. Quæ omnia per ministros observari curent. Et quia dictum est sæpe ex aperture alicujus putei diu occlusi, vel alterius foveæ, excitari pestilentiam, ideo si forte a tali febris pestilentialis initium habuerit, procurent quam citissimè dictos puteos vel foveas iterum recludi. Similiter si febris hæc ex corruptione insepultorum corporum, vel quomodocunque putrescentium fuerit, jubeant corpora illa sepeliri aut comburi, eodem modo faciendum de rebus putridis est, eas comburando. Aquæ vero si malæ sunt foetidæ, & quietæ, omni ingenio aliò in locum longinquum deducantur. Quod si hoc minime fieri potest, quoniam ibi sunt fossæ aut quædam palus, impleantur terrâ. Et ad summum omnes causæ, quæ possunt excitare pestiferam qualitatem, corrigendæ sunt, vel ex toto amovendæ, si fieri potest: prohibendo ne quid putridum in civitatem projiciatur per cloacas. Mundentur latrinæ. Et unaquæque interdicator ex putridis artibus, ut est ars coriaria, & quæ zinaprium sive minium conficit, vel sublimatum, & quæ ex sulfure vel arsenico & aliis foetidis aliquid parat. Abjiciantur etiam a civitate porci, vaccæ, anseres & alia animalia putridum aerem reddentia, neque solum

a civitate sed a locis convicinis, sicque aer custodiri potest a futurâ contagione. Quod si febris in civitate populari jam cœperit, his superius præmissis & observatis, Provisores dicti procurent habere duo hospitalia sive loca distincta ita ut contagium unius hospitalis minimè ad aliud traduci possit, quæ hospitalia si non sunt, procurent ut ex bonis publicis fabricentur ad commune omnium beneficium & præsertim pauperum. Loca vero in quibus dicta hospitalia fabricari debent, sint loca si fieri potest, boni aeris, non paludosa, neque aquis malis aut mortuis propinqua, neque exposita vaporibus malis, ab aliis vicinis locis excitationis, sintque munda ab omni genere immundiciarum, æstate sæpe in die *aceto permixto aquæ dulci* aspersa, hyeme accendantur igne hinc inde, & frequentes ex lignis bonis, ut sunt juniperi, cupressus, laurus, & alia ligna superius dicta. Sint munita necessariis tam pro victu quàm pro ægritudinibus curandis, & habeant ministros probos, animosos, misericordesque ac in omnibus necessariis libentè ægris servientes. In quibus etiam hospitalibus, sint medici rationales phyfici dicti, & chirurgici, ut dicunt moderni, distinguentes medicos & chirurgicos sine necessitate, & malè, quoniam medici munus est conservare sanitatem, & removeere ægritudinem, sive hoc perficiat instrumento, sive potionibus, sive regimine rerum necessariarum, & aliorum. Neque medicus dici potest qui omnia ista ignorat aut partem, Sed decipiuntur sic dividentes, non medicina divisa est  
sed



sed instrumenta medicinæ, ut doctè dixit Avicenna, sen quartâ primi dicens, res medicationis compleri aliquo trium rerum, scilicet regimine aut medicaminibus, vel manus artificio. Sed si tibi hoc clarius dici velis habeant ministros, qui nostro tempore sunt barbitonfores et aromatarii, vel alios, qui manibus operentur, si medici ipsi ita inexperti sint, ut etiam manuum ignorent operationem, ut contingit tempore nostro, in quo paucissimi sunt, qui noverint operari manibus, & ægritudinibus exterioribus opitulari. Sed de hoc satis. Medici igitur ad hæc docti & experti sint & habeant ministros, qui summâ cum diligentia & haritate omnia exequantur. Et quoniam hæc febris ut plurimum interficit, sint etiam in dictis hospitalibus clerici presbyteri probi & misericordes, qui animæ necessaria perficiant, in eaque hospitalia pauperes alii infecti mittantur. Quod si ex una domo plures sint mittendi, quorum aliqui sint ægri, aliqui vero minimè, cum superius dixerim duo hospitalia vel loca separata oportere præparata esse, ideo ad unum hospitalium mittantur ægri, & ad alterum qui sani sunt, & tamen cum infectis congressi, quoniam suspicio est ne sint infecti, sicque alterum hospitalium sit pro ægris paratum, alterum pro sanis, quos esse infectos suspicantur, mutuas præterea habeant mutationes, ita ut ægri postquam convaluerint ad sanorum hospitale mittantur, similiter si aliquis ex sanorum hospitali ægrotaverit ad infirmorum mittatur hospitale, ijq; omnes tam ægri, quam sani regimine

regimine à medico rationali ( ut in sequentibus dicam) imposito regantur, & hoc donec ægri sanitati restituantur, & sanis contagionis suspitio tollatur. Quod fit ut plurimum quadraginta dierum spacio, & est tempus, ad quod ægri tudines diuturnæ veniunt, quamvis antea acutæ. Et ut tota tollatur suspitio de nova infectione per pannorum contactum, Domini provisoires procurant per ministros, ut res omnes dictorum infectorum, ut sunt panni linei & alia supellectilia domuum infectarum & domus ipsæ mundentur diligenter, ita ut lectuli, & coopertoria linteamina & alia omnia tam vestimenta, \* quàm domus ornamenta lavatione, aliisq; purgationibus munda ac nitida reddantur. Sed præter ea, quæ dicta sunt, aerem rectificare operæ precium est, secundum diversâ accidentia cognita, tum ratione anni, temporis, tum febrium majoris & minoris acuitatis, verbi gratiâ, si æstas erit, si febres continuæ, causonides dictæ, hominum multitudinem corripiant, vel sint continuæ proportionales ex cholera, vel cum admitione sanguinis. Aspergatur locus aquâ aceto mistâ, in quâ ebullierint rosæ, violæ; nenufari, Latini nympheam vocant, & aliæ herbæ frigidæ bene redolentes. Quod si febres ex crassioris materiæ putredine esse patebit, ut ex admitione multæ pituitæ, vel alterius humoris frigidi, cum jam dictis rosis bulliant etiam mentam, ocymum, rosmarinum, aliasq; hujusmodi herbas bene redolentes, & calidas, ut ex  
istis

\* V. Dio. Am.

V. Mead. cap. 48.



istis in hominem inspiratus aer recreet spiritus, & resistat qualitati venenosæ ac caliditati. Ego vero plures decoctiones scribam, ubi de regimine particularis domûs loquar, quæ etiam hospitalibus accommodari poterunt. Et ut summam dicam, ex omni parte omnia sint nitida, tam linteamina, quam reliqua, ut pauperibus quoad fieri potest in tam sæva ægritudine diligenter inserviatur. Prohibeantur in dictis hospitalibus comestiones malarum rerum, ut sunt olera & fructus mali, ac aliæ res generantes & multiplicantes putridos humores, ut est lac: Itidem potus mali prohiberi debent, quod si aquæ, non sint sine suspitione, vel ratione loci, in quo morantur, vel quomodocunq;, coquantur cum rebus exiccantibus & alijs corrigentibus eorum malitiam, ut de omnibus dicam abunde, ubi de regimine ægrotantium scribam. Sintq; illi qui interdicti sunt, parci, & abstinentes, neque repleantur, quoniam (ut dixit Galenus) *abstinentiâ cibi totum corpus æqualiter purgat & exiccat*. Et cum exiccatio ex omnium sententiâ a febre pestiferâ primo præservet, ideo si quis præservari a peste desiderat, caveat à multitudine ciborum & præsertim humidorum.



## CAP. II.

Docet præservare Domus per aeris regulationem & alia quædam pulcherrima.

**D**omus vero regatur, si suspicio sit ne inficiatur. Primum alterando aerem prout expedire videbitur per ea, quæ ex signis populantis ægritudinis apparent, quod fit primo ipsam domum mundificando a quocunq; genere sorditiei, ita, ut nullus malus odor, aut mala evaporatio, in ipsâ, vel circum ipsam sit, ut sunt latrinarum, aut cloacarum evaporationes, & non solum à totâ domo removendæ sunt foetidæ exhalationes, verum etiam a quocunque particulari loco & cubili, quare qui consueverunt habere in cubiculo vasa, in quibus excrementa ventris deponuntur, ea minimè continuè in thalamo teneant, quoniam thalamum implent malo odore, qui in aere receptus causa efficitur præparans ad deteriorem alterationem, similiter & omnes aliæ res putidæ, expedit, ut abjiciantur, & suavibus ac redolentibus statim camera repleatur. Et quoniam etiam aer clarus & diu in aliquo loco detentus malus est, ideo ad ejus expirationem aliquando aperiantur fenestræ. Et tamen animadvertendum est, ne forte, si suspicemur malum aerem deferri a ventis, vel aliter, ex aliquo loco infecto, fenestras respicientes hujusmodi locum ullo modo aperiamus, sin autem nihil

erit



erit hujusmodi quod timeamus æqualitèr aerem temperare conveniet. Sed cum venti septentrionales & boreales sicciore snt, salubriore quoque esse credimus, nisi per loca paludosa & humida ad nos transeant; sic enim aliquandò noxij sunt; sed hâc in re non potest dari certa regula, nisi rationalis intellectus sit præsens, & de admistis vaporibus à ventis delatis judicet secundum rectum judicium. Enim verò aer mutatur à multis, ità ut recipiat diversas alterationes: quare pro ut exiget diversitas alterationis, corrigi debet. Alterationes præterea sæpè occultæ sunt per ea, quæ exteriùs de causis haberi possunt; attamen quia effectus causam demonstrat, eâ ratione poteris causam investigare. Et ideò si accidentia febrem consequentia fuerint ex illis quæ nimiam caliditatem ostendunt, aerem procul dubio refrigerantibus alterare conveniet. Quòd si frigiditatem demonstrant, quod ratò fit, necesse erit illum calefacere, similiter si humiditatem monstrant, ipsum omni ingenio exiccare necessarium est, moderatè tamen, eodem modo si aer nimiam siccitate nocuus efficiatur, moderatè humectari debet, atque non ita modum excedat, ut eum putredini paratum reddat, sed acumen corrigat à nimiam siccitate proveniens, quoniam semper nimia humiditas mala est cum sit putredinis mater. Et eâ de re in omnibus medio quodammodò procedatur, sed humiditatem exiccare optimum semper est, quoniam in ejus intensione fit etiã malignitatis pestiferæ augmentum. Locus vero sive mansio salubris est, quæ alta, ac ventis patula est,

præsertim si infectio aeris cum vaporibus à terræ visceribus fuerit. Sed quoniam non semper ex hujusmodi exteriori alteratione aer domi rectificari potest, cum jam totus ambiens aer exterius sit corruptus, ideò domus atq; cubicula præparentur ut dixi ex sententiâ tum Hippocratis, tum etiam Galeni, cum igne, qui semper aerem pestiferum à quâcunque causâ alteratum corrigit; sed non eodem modo, quoniam corrigit acquisitam putredinem, quæ non sine humiditate fit, & ideò etiam in æstate mane exiguus \* ignis ex lignis odoriferis dictis domi & in cubiculo accendatur, quod vero dictum est de æstate, idem & de ultimâ parte veris & principio autumnii etiam, si calidus aer fuerit, intelligendum est; in hyeme verò majores & frequentiores ignes accendantur, non solum mane sed etiam per totam diem atq; noctem: ligna tamèn, quæ comburuntur sint odorifera, sin minùs, projiciatur quidpiam benè redolens in ignem, ut si sint divites, portionem ligni aloes, sandali, & hujusmodi, si sint vero pauperes urant rosmarinum, laurum, cedrum. Prætercà domus ac cubilia aspergantur

---

\* V. Mead. p. 47. contra differentem.

Ignes, ex lignis odoriferis, Hippocrate docente, antiqui & Moderni in Usu habuere Medici. Non sanè miror à vi Carbonum suffocatoriâ effusâ, descendente pluvîâ, quatuor hominum millia vel ultra, unâ cecidisse nocte. Si enim Æstus humiditati conjunctus pestem afferat, cur non ex ignibus intempestivè factis, excandescat malum: pro unâ Calamitate solum, in ignes accensos exclamare nolo.

Hoc ipsum in leprâ curandâ, jubente Deo, faciendum præcepit, Moses, ut enim contagioni omnis præcluderetur nocendi facultas ligna cedrina & Hyssopum comburi jussit. V. Levit. cap. 14. v. 4.



tur in æstate aquâ aceto admistâ sæpè in die, etenim corrigit malum aerem, & bonum à putredine præservat, quibus si pars aquæ rosaceæ accesserit, optimum erit. Et hoc fiat secundum temporis qualitates, nam in hyeme posset quis præter acetum & aquam, malvatici vini ac odoriferi portionem addere, ac domum aspergere, atque ità juxta temporum & aeris mutationem, mutare alterantia. Scilicet addendo ac bulliendo diversa, ut sunt cortices fructûs citri & arboris frondes, vel medici pomi cortices, quod arantiam vocant, aut limonis, ut sunt etiam herbæ & flores bene redolentes, ut rosæ, violæ, myrtus, ocymum & similia, pro ut exiget tempus, ac pro uniuscujusque facultate. Et ut omnia præstò tibi sint, ità ut nihil ampliùs desideres, describam diversa aerem rectificantia. Primumque sit descriptio decoctionis temperatæ rectificantis aerem, & exiccantis exiccatione temperatâ, juven-tis ferè in quâcunque dispositione aeris ac anni tempore, & est odorifera, divitibus, & pauperibus accommodata, quoniam ea quæ ad hanc missionem pertinent, unicuiq; sunt obvia, quæ etiam in hortulis reperiuntur, & est ista: Recipe florum rosarum manipulos. iiij. violarum, nenufaris (nymphæam vocant) foliorum myrti, lauri, ocymi, rosmarini, baccarum lauri, juniperi, corticum citrij, limonum, arantiarum ana manipulum. i. pomorum apianorum, odoriferorum frustatim incisorum numero. x. bulliant omnia in aquâ fontis, sive putei cum aceti portiunculâ, atq; decoctione domus aspergatur, quoniam ae-

rem malum rectificat, & præservat bonum à malâ infectione, estq; odoris gratissimi, idque sæpè in die fiat, nam domus optimo odore replebitur. Esto tamèn memor, quòd aspersione facta cum aceto aquâ commisto, ac etiam rosaceâ, mirum in modum aerem corrigit quocunque tempore; attamèn si in hyeme portionem vini odoriferi addes, cum aliquâ de causâ id faciendum cognoveris melius erit; sed quoniam diversa auxilia sæpè profunt, ideo poteris & istâ decoctione, quæ facilis est, uti. Recipe rosarum rubrarum libram i. foliorum myrti & seminum ipsius ana libram, scilicet sandalorum omnium ana ℥i. bulliant in sufficiente quantitate aquæ, in quâ sit acetum in sextæ partis portione, ijsq; domum & cubile asperge. Alia odorifera decoctio magis exiccativa cum quâdam caliditate temperata tamèn. Recipe rosarum violarum, nenufaris, ana manipulos. ii. seminum coriandri, anisi, ana manipulum i. cinamomi, macis ana ℥iij. grana paradisi ℥iij. bulliant omnia in aquâ fontanâ, cum quâ ut dictum est, domus aspergatur, quoniam aerem rectificat. Potes etiam paucioribus simplicibus decoctionem hanc facere hoc modo. Recipe rosarum, granorum myrti, juniperi, ana partes æquales, bulliant in aquâ rosaceâ, & utere ipsâ decoctione. Sunt & aliæ decoctiones quibus divites in suis luxurijs utuntur, quas, ut omnia rectificatoria aerem habeas etiam si principibus his opus fuerit scribam. Recipe rosarum rubrarum ℥ij. sandalorum rub. ℥j. macis, gariofilorum cinamomi ana ℥v. corticum citri ℥is. poma apia-  
na



na in frustra incisa & odorifera numero. v. bulliant omnia in sufficiente quantitate aquæ rosacæ, & florum citri, aut arantiarum, cum quâ decoctione cubile aspergatur, lavet etiã faciem & manus, vel ponatur in olla ad ignem parvum, & permittite ut levitè evaporet, ita ut vapores elevati repleant cubile odore optimo & fragranti, coq; membra principalia scilicèt cor & cerebrum recreabit. Nota tamèn hujusmodi suffumigationem per levem evaporationem posse fieri ad ignem etiã cum alijs superiùs dictis decoctionibus. Quòd si aer calidissimus fuerit, ita ut præter intentionem malignitatis pestiferæ velis extinguere aeris caliditatem, hoc modo facies, si sæpe domum & thalamum insperges, ex admistione aquæ rosacæ & violacæ unâ cum portiunculâ aceti optimi, poteris etiam hâc supradictâ mixturâ manus & faciem irrorare ac odorari. Et pro pauperibus; Accipe rosarum manipulos. iiij. violarum manipulos. ij. nenufaris manipulum. i. poma apiana, limones vel citria, & arantias in frustra incisas ana. numero. iiij. seminum coriandri. § iiij. bulliant in aquâ fontanâ & pauco aceto, eâq; decoctione aspergatur domus, vel positâ ad ignem lentum fiat evaporatio ut supradictum est. Cave tamèn ne nimium calefacias aerem, cum aer calidus magis præparet corpora ad febres, nam febris calor est. Nam ratione febris resistit infri-  
gidatio, sed malignitati pestiferæ contrarium & exiccatio, & cordis recreatio, & aliorum membrorum principalium, cum rebus temperatis benè redolentibus aerem alterando, præsertim cum

Contrarijs accommodatis qualitati pestiferæ. Ad-  
dam & alia aerem rectificantia diversa à supradi-  
ctis in formâ sed eadem in qualitatibus, quæ lau-  
dare antiqui medici. Et primum, Accipe tro-  
ciscos galliæ a divo Mesue descriptos distinctione  
octavâ in suo antidotario, quos pone super pru-  
nas ignitas & maxime tempore hyemis, sunt e-  
nim pretiosi, ac pro divitibus, reficiunt cor, &  
cerebrum, sunt etiam optimi & ejusdem inten-  
tionis trocisci muscati Mesuæ in suo antidotario  
loco allegato. Quod si tam illorum, quàm isto-  
rum, caliditatem timueris, dissolve ipsos in aquis  
odoriferis frigidis, ut est aqua rosacea, aut violarum,  
& nenufaris, quod nymphemam vocant, poneq;  
in ollâ ad ignem lentum, non ut bulliat, sed ut  
à caliditate vapores excitentur, sicq; aerem  
domi odoriferum, ac temperatum reddat, quam  
evaporationem potes etiam cum supradictis tro-  
ciscis facere, eos in jam dictis aquis, aut alijs  
dissolvendo, & supra ignem permittere ut eva-  
porent, regulando pro ut tempus & aliarum re-  
rum expetet ratio, ut putâ quandò majorem re-  
frigerationem fieri velis minus ex trociscis et co-  
piosiore aquarum quantitatè pones. Potest  
etiam aer rectificari cum trociscis galliæ sabelli-  
næ ab eodem Mesuâ descriptis; & sunt minus  
calidi, ad idem faciunt trocisci de ciperis Mesuæ  
qui sua siccitate ac odore gratissimo aerem pesti-  
lentialem mirificè corrigunt. Sunt etiam tro-  
cisci de ligno aloes ab eodem Mesuâ descripti  
qui



qui mirum in modum cordi suo odore opitulantur, isti omnes super arduentes carbones ponere poteris vel in ollâ cum aquis jam dictis ut evaporando aerem corrigant. Quod si suffitum minus calidum desideras, utere trociscis diarodon in antidotario Nicolai descriptis, etenim multa quæ compositionem ingrediuntur frigida & sicca sunt.

---

### C A P. III.

De regimine cibi, & potûs, præservante a febre pestilentiali.

**S**Obrietas, ac c & potus abstinentia, præ omnibus prodest, & à febre pestiferâ præservat. Cibi qui comeduntur, sint facilis digestionis, bonumque succum generantes, & minimè putrescibiles, ità ut sanguinem bonum generent, ferveturque consuetudinis modus, quantitatis, & temporis, ut si fieri possit non omninò mutentur, scilicèt in modo coctionis & aliarum præparationum. Ii vero cibi nullo modo abundant humiditate, aut superfluâ, aut putrescibili, sed substantiâ declinantè ad aliquam temperatam siccitatem, quoniàm nutrimur humido, quæ cibi qualitates, si ex propriâ naturâ tales non ex toto fuerint, rebus cibi alterantibus commisceantur, ut putà cum aceto & alijs ut postmodum dicam.

Præterea

Præterea conveniunt cibi temperatæ caliditatis, frigidi vero minus, quare omnes sint temperati, magis ad siccum, quam ad frigidum declinantes. Et hoc dictum sit in præservatione, quoniam secus in febre dicendum esset, cum frigiditas ex adverso repugnet caliditati febrili, & siccitas malignitati putredinis aeris pestiferi, qui non sine humiditate alteratur & in corpus nostrum agit. Sit itaque panis in primis ex optimo tritico, nec vetustate, aut aliâ causâ corrupto, aut corruptioni præparato, mundato à quâ cunque re malâ, ut est lolium, aliaque id genus frumento adnascentia, sitque à furfure mediocritèr purgatus, & hoc quoniam, si cum ipsâ farinâ minuti furfures remanent, reddunt panem sicciorem, ac descensui faciliorem etenim, furfur virtutem stimulat expulsivam sua absterfione: farina præterea omni malo carcat odore, & sapore, qui possunt contrahi, aut ex loco, ubi locata fuerit, aut ex tempore & vetustate. Sit panis etiam bene fermentatus, ac in clibano optimè coctus, & post coctionem per diem & noctem quiescat, etenim panis novitèr coctus calefacit, inflat, ac ad caput vaporat, neq; sit nimis exiccatus: quoniam minus nutrit ac difficultèr digeritur, sic etiam mediocritèr salitus, & in hoc diligentèr studendum est, Carnes etiam sint bonæ, quæ etsi omnes calidæ & humidæ sint, attamen quia inter se comparatæ quædam sunt sicciiores ideò ex juvenilibus quæ sunt temperatæ siccitatis eligantur, ut sunt inter quadrupedes hœdineæ quæ ad siccitatem declinant. Sunt etiam bonæ carnes vituli, & castrati bovis non pinguis.

Neq;



Neq; istarum carniū humi ditas quandò moderate comeduntur, nocet, quod si times, potes corrigere ipsam aliquâ ratione, putà assatione vel fassamento factò, verbi gratiâ ex herbâ acetosâ, quam lapathium etiâ dicunt, adde tamèn & parum aceti, sive succi citri, vel limonis, aut arantiarum, cum portione aquæ rosacæ, & cinamomi. Et illæ meliores sunt carnes, quæ pascuis melioribus vescuntur. Cæteræ carnes ut sunt bubulæ, agninæ, suillæ; ac sylvestrium animalium, ut sunt cervi, lepores, & hujus generis, præsertim si sunt annosæ, non sunt laudatæ, quoniam sunt pauci nutrimenti, difficilisque digestionis, si tamen ex ipsis in cibum sumantur, minor sit quantitas earum. Meliores vero carnes, ac laudabiliores omnium, quæ hoc tempore comeduntur, sunt carnes volatiliū, ut sunt pro divitibus phasiani juvenes, perdices, coturnices, turtures, turdi, merulæ, & aliæ aves nemorales, quæ venatione, aut aliquo alio capiuntur ingenio, quoniam optimum generant nutrimentum, & sunt concoctionis facilis, præsertim aves, quæ volant ut victum acquirant. Et istâ ratione laudantur carnes palumbium sylvestrium. Præterea optimi sunt pulli gallinacii, capi juvenes, gallinæ etiam juvenes, & quæ currunt hoc cursu scilicet illæ, quæ sunt facilis concoctionis, bonum generantes sanguinem, ac ad quampiam siccitatem declinantes, sintq; coctæ cum aliquibus alterantibus, secundum temporis & aliorum necessitatem, ut putà tempore Æstatis, si elixentur, bulliant simul grana uvæ acerbæ, vel folia vel semina herbæ

herbæ acetosæ, & similia. Quod si assentur, aspergantur aquâ rosaceâ, & succo uvæ acerbæ, aut limonum, aut medici pomi (quod arantiam vocant) aut citri, aut granatorum & similium, cum modico saccari, & cinamomi. Non tamèn tempore æstatis aromata calidiora ponenda sunt, ut est zinziber, piper, & similia, quoniam suâ caliditate humores accendunt, quare temperatis benè redolentibus uti debemus. Notabis tamèn carnes elixatione coctas faciliores esse ad stomachi digestionem, quàm aflatæ sint, hæc tamèn siccius generant nutrimentum, gustuique delactabiliore sunt, quare, secundum stomachi fortitudinem & tempus anni, & alia diversimodæ præparentur. Cæteræ verò aves ut sunt anseres, anates, grues, cygni, mergi, & aliæ in paludibus ac aquis degentes, isto tempore neq; recentes, neque salitæ sunt comedendæ quoniam malum generant sanguinem, similiter & omnes aliæ carnes salitæ malæ sunt, & quæ per frixionem coctæ, quoniam humores adurunt, & corpus calefaciunt calefactione malâ. Dimittantur præterea extremitates omnes animalium, ut sunt pedes, & capita, similiter & intestina, ac splen, hepar, renes cor, pulmo, & alia, sunt enim mala, duræ digestionis, & pauci nutrimenti, & inter cætera dixit mirabilis Avenzoar secundo theisir, capite, xviii. capita columbarum & colla earum facere dolorem capitis, attamen, laudantur jecinora gallinarum & caponum. Præterea omnia quæ ex lacte confecta sunt, in tali regimine dimittantur, nam lac recens citò à quâcunq; levi alteratione corrumpitur, &

gene-



generat febrem, similiter lac coagulatum nocet & est difficilis concoctionis, similiter caseus duræ est digestionis, causatq; intrinsecas obstructions, butyrum quoq; suâ pinguedine & humiditate malum est. Possent tamen manè aliquandò bibi cyathus unus feri lactis, caprini scilicèt, vel alterius animalis bonum lac generantis a quo omninò butyrum extractum esset, in quo ponatur portinuncula faccari, aut succi uvæ acerbæ, vel citri, aut limonnm. Præterea farcimina omnia, tam suilla, quam alterius generis pinguia & falita quæ vulgares falsicia, ac lucanicas vocant, mala sunt. Esto tamen memor dictorum in primo tractatu, ex sententia mirabilis Avenzoar, scilicèt, quod ex corruptione ciborum sæpè fiunt febres pestilenciales, præsertim ex corruptione ciborum sæpè fiunt febres pestilenciales, præsertim ex corruptione carniū, quoniam, ut ibi dixi, si carnes comestæ corrumpantur fiunt febres pestiferæ, sine aeris exterioris contagione, & hic per pestiferam, febrem malignam & contagiosam intelligere oportet. Idem & ali res malæ faciunt, quarè cautè agendum in cibarijs tempore quo mali aeris suspicio est. Sunt præterea bona, ova sorbilia, recentia, & gallinacea, vel in jure agitata cum paucò aceto, vel succo uvæ acerbæ, aut succo arantiarum, citri, vel limonis, vel cocta in jure cum carne, aut in aquâ, ita ut non sint dura sed tremula, aspersa aquâ rosaceâ, succo uvæ acerbæ, & alijs dictis, addito modico cinnamomi, & faccari, sicq; optimum generant sanguinem, frixa verò vel aliter cocta, & indurata mala

mala sunt. Pisces vero aliqui, qui meliores sunt comedi possunt, præsertim marini, squammosi, in aquis claris degentes, ac comedentes alios pisces vel quasdam herbas maris super petras nascentes, hos pisces petrosos vocant, ut sunt scorpenæ (sivè scorpiones dixeris) non refert, sed ego idem esse dixerim. Auratæ etiàm optimæ sunt, & Dentices (quos dentales vulgares nominant) barbi, & triglæ, si diversi specie sunt, lupi sive spigolæ (quos vulgares variolos vocant) menæ sive menulæ, pagri sive fragri, (quos albores appellant,) Sardæ & cæteri pisces, qui optimi sunt laudantur. Prætereà inter pisces in lacubus, & fluminibus nascentes quidam comedi possunt, ut sunt lucii, cum sint noti & ferè ubique in fluminibus reperiantur, sunt etiàm laudatissimi pisces troctæ, & ipsi nostro tempore notissimi pisces, si non sunt idem cum carpionibus, qui recentes comedi possunt, sed saliti & frixi nocent, quoniam sanguinem inflammant, prætereà alii consimiles degentes in aquis claris, ac alios pisces comedentes, comedi possunt, tamen cum sint humidi, salubriores erunt, si assentur cum modico salis & aceti conditi, elixentur etiàm (si ità coquere libuerit) cum vino & modico aceti, cinnamo, & similibus, ut ejus tollatur humiditas putrescibilis, nam inter cætera cibaria, quæ facile putrescunt, sunt pisces, & ideò in eorum præparatione semper ea quæ à putredine servant, adhibenda sunt, ut est acetum, sed consilium meum est, eis, quàm fieri potest, rarissimè uti, & maximè si times eorum putredinem, ex quibus sic præparatis, va-  
 poris



pores mali sæpè excitari solent, quapropter post eorum coctionem minime cooperiendi sunt, sed permittite omnes vapores exhalare, nam si cooperiti vapores circum ipsos remaneant, reddunt eorum substantiam ad putredinem paratiorem. Suntq; alii quamplurimi, tam marini quàm fluviales pisces. Sed ut dixi utilius est eis non vesci, præsertim quibusdam malis, ut sunt anguillæ, cephalæ, sepiæ, tinchæ, & cæteri omnes in paludibus & malis aquis degentes. Similiter & crustacei sunt dimittendi ut conchyliæ, & gamari, & similia, potest tamen aliquando stomachi gratiâ modicum quid saliti comedi, ut putà ovatarica, (quam vulgares botargam vocant) vel caviarum, sed non sit multæ quantitatis, sitque succo aranciæ madefactum præsertim tempore æstivo. Possunt etiam tam cum piscibus, quàm cum carnibus & ovis comedi balsamenta aliqua propter sapes vtilis, ac resistentes malignitati pestiferæ secundum diversitatem temporum, quare in hyeme optimi sunt sapes, ex petroselino, mentâ, salviâ, & amygdalis dissolutis cum aceto, addito cinnamomo & mace, cum quo carnes comedantur, sed cum piscibus addendum erit zinziber, & caryophylli. Sunt præterea optimi sapes in æstate ex petroselino, acetosâ, amygdalis & pane biscocto cum aceto aut succo uvæ immaturæ, vel citri, & ex allis, in quo etiâ tempore sunt optimi sapes ex cydonijs sive cotonijs dixeris non refert, vel ex cerasis acetosis, quas vulgò amarascas & amarenas vocant, fiunt etiâ alij sapes, qui optimi sunt ex hepatibus gallinarum &

myg-

amygdalis, faccaro, aquà rofaceâ, cinnamomo cum aliquo succo acetoso putà citriorum. Ex hujusmodi hepatibus fiunt alia edulia grata, quæ comedi possunt. Reliqui verò ut sunt facti ex sinape aut ex sapa, sive vino decocto, vel cum multis aromatibus calidis, quoniàm calefaciunt & sanguinem acuunt, non placent, sed in primâ mensâ possumus comedere saluticium, gratiâ appetitus, compositum ex herbis bonis, verbi gratiâ, ex acetosâ, quam lapathium dicunt, ex cicoreo, endiviâ, lactucâ, portulacâ, buglossâ, boraigue, mentâ, lupulo, calendulâ, asparago & ex reliquis hujus generis, & inter cætera capares laudatissimi sunt in hyeme, hæc omnia præparentur aceto, vel succo uvæ immaturæ, aut aranciarum, cum faccaro, & si opus fuerit cum parte etiàm cinnamomi. Dimittantur herbæ malæ ut est crucea, nasturtium, & hujus generis malos & putridos humores generantes. Et quoniàm olera hujusmodi excitandi appetitus gratiâ comeduntur, ideò & in primâ mensâ modicè eis vescendum erit, cum herbæ omnes facillime corrumpantur & parùm etiàm nutriant. Dimittanturq; aromata nimis calida ut est piper & zinziber, quiâ sua caliditate sanguinem inflammant, utantur aliquandò cinnamomo mace & similibus, quoniàm resistunt putrefactioni, digestionemque adjuvant, neque nimis calida sunt itidem & alijs consimilibus uti possunt, sed meliora sunt, quæ cum rebus acetosis commista sunt, ut putà limonibus, aut citro, vel granatis, sed laudavit Avicenna præter alia acetum,



tum, quoniàm exiccat & a putredine præservat gustuiq; gratissimum est. Ejus vero usus sit moderatus, secundum stomachi fortitudinem, complexionem, & anni tempus, ac alia. Fercula prætereà laudata in præservatione a febre pestilentiali sunt, quæ fiunt ex ovis contusis in jure carniuum, cum aliqua portione aceti, vel succi sæpè dicti, uvæ acerbæ, vel limonum, & aliarum hujus generis, fiat etiam cum pane in jure infuso, vel sit panatella, bulliantque in iis diversæ res secundum temporis opportunitatem, in æstate grana uvæ immaturæ, aut grana crespinæ, fiat etiam ferculum ex farre, vel ex amygdalis, ex panico, & lenticulis, cum aceto, cætera vero legumina non sunt bona, tum quoniàm viscosum & ventosum generant nutrimentum, tum etiàm quoniàm parùm nutriunt, & calefaciunt pro majori parte, sicuti ciccer, & tametsi dictum sit de lenticulis cum aceto præparatis, quæ prius duplici decoctione & in aceto bullierint, attamen non ex omni parte laudantur succi, etenim generant humores melancholicos, sed quoniam & acuunt sanguinem, penetrare faciunt, istâ ratione ante apparitionem variolarum morbillorum, & pestichiarum, earum decoctio cum ficibus conceditur. Pretereà ciceres non placent ex causâ jam dictâ, quòd si tamèn concedantur bulliant simul cum eis acetosa, endivia, & similia. Sunt prætereà in æstate & alia fercula bona, ut putà ex cucurbitis cum paululo croci vel cinnamomi, vel fiant ex buglossâ, boragine, & alijs herbis superiùs dictis. Caules vero, & cætera ferè olera quoniam generant

nerant malos humores & putrescibiles, sunt mala, dicant autem antiqui de usu suæ brassicæ quicquid velint, similiter fercula ex cucumeribus, & citrulis dimittenda sunt, cum sint humida nimis; Pastilli vero, qui ex diversis fiunt rebus, ut sunt, qui ex radicibus petroselini, bleta, ovis, caseo, & carnibus fiunt non laudantur. Similiter & pulmentorum compositiones, quas tortas vocant; in quibus & caseum & butyrum cum ovis ingrediuntur, non laudantur, sunt enim mali chymi, attamen aliquando aliquæ comedi possunt, ut sunt factæ ex amygdalis & zuccaro sive saccharo, cum aquâ rosatâ in furnulo decoctæ, vocant marzapanum. Sunt boni etiâ canifiones, qui fiunt ex amygdalis zuccaro & aqua rosacea subactis in mortario ac involuti in pasta ex farinâ, zuccaro, & aquâ rosaceâ factâ, ac subtilitèr extensa, quæ in modum pastillorum oblongorum redigantur, in furnuloq; coquantur, vel aliquandò fiant, ut vocantur, tortæ ex piris, & cotoneis, vel similibus tempore hyemali. Sed fructus omnes quoniam humidi ac putrescibiles sunt, laudantur, præter quosdam, qui ante cibum sumuntur, ut sunt cerasa acetosa, quæ vulgo amarascas, & amarenas vocant, & ut pruna etiam Damascena, ac quædam genera pirorum dulcium, ut sunt pira moschata, & similia, neque ex ipsis multa quantitas comedatur: his accedunt cotonea, sive cytonia dixeris, quæ cocta post cibum comedi solent, similiter & amygdalæ recentes, avellanæ recentes non induratæ, fistici ac pinearum fructus comedi possunt. Sed de nucibus non  
parva



parva est apud me hæsitatio, cum videam ferè omnes antiquos eas laudasse, quæ quoniam nocent stomacho, pectori, & capiti, ac difficilis sunt concoctionis in stomacho, meâ quidem sententiâ omittantur, nisi forte aliquis ipsis uti voluerit, non ut cibo, sed ut medicinâ veneno contrariâ. Uva quoniam laudabilem generat sanguinem comedi potest, ea tamen non omnino matura fit : illa vero quæ montosis nascitur locis melior dicitur esse, quâ tamen nemo statim post collectionem vescatur, sed duos aut tres dies post, quæ si ante cibum cum pane comedatur, melius est. Cæteræ uvæ exiccatae, ut sunt quæ ex Damasco asportantur, quoniam pingues inflantes sunt, non laudantur & si gratæ sint gustui, sed passulæ illæ parvæ nigræ, optimæ sunt ; etenim bonum generant nutrimentum, stomachumq; roborant, tam solæ, quàm cum alijs cibarijs & saporibus comestæ. Sunt præterea quam plurimi fructus, qui quoniam mali sunt, dimittantur, ex quibus sunt cerasa dulcia, mora, chrysomela, persica poma, sorba, mespila, & quæ azarolia poma dicuntur ; sunt autem ejusdem generis, tametsi aliter quidam credunt, nam quæ in agris Romæ propinquis nascuntur meliores & sapidiores sunt nostris. Sed castaneæ dimittendæ sunt. Possunt tamen aliquando quædam poma odorifera comedi, assata tamen in prunis, ut eorum humiditas putrescibilis consumatur. Citria vero secundum omnes eorum partes laudatissima sunt, similiter limones,

H ac

ac poma medica, quæ arancias vocant, ex istis omnibus, tam ex corticibus, quam seminibus & eorum partibus acetosis, siquid comedatur, præservamur à contagione pestiferâ, etenim cor recreant, atque veneno pestifero adversantur; similiter & poma granata, quæ & punica dicuntur, præsertim acetosa & mitia sive mediæ saporis dixeris, optima sunt. Præterea legumina viridia omnia mala sunt, ut fabæ, pisa, ciceres, & reliqua, quoniam inflantia sunt, ac malum succum generant. Melones, quos pepones vocant, tempore æstatis omnes comedunt, attamen quoniam nimis humidi sunt, nocent stomacho, ac sanguinem aquosum generant, sæpeque levitatem intestinorum faciunt, si ex eis plus quam par sit comedatur, quare licet suâ humiditate & domesticâ frigiditate, quæ potius temperies dici potest, caliditatem ex aere æstivo contractam extinguant, parcè comedantur in regimine præservanti à peste, ii tamen ante cibum comedi debent, ut cæteri fructus molles. Neque audiendæ sunt fatuitates quorundam dicentium nullo modo usui victûs humani esse melones convenientes, cum sibi ipsis & antiquis sapientibus sint contrarii. Præterea ante & post cibum scilicet in primâ & ultimâ mensâ solent divites quosdam fructus, & alias res saccaro, sive zuccaro dixeris non refert, conditas comedere, ut sunt limones parvi, qui optimi sunt, citri, aranciæ, & cortices eorum, & flores etiam, qui omnes sunt utiles cordi & malignitati venenosæ resistunt: Huc accedunt poma cotonea, & pira condita, quæ si post cibum comedantur, prohibent ascensum vaporum ad caput



caput. Sunt præterea alia, quæ in usu sunt, ut amygdalæ, pineæ, anisi, coriandri, quos saccaro sive zuccaro coopertos confectos vocant, ii post cibum comeduntur, præsertim anisi, & coriandri, nam præparant coriandros aceto vel vino granatorum, postea saccaro condiunt, sicque conferunt cerebro; dicant non nulli quicquid velint perperam Dioscoridem intelligentes de coriandro, cum non quocunque modo ac quantitate sumptâ mentem percutiat, quoniam quælibet medicina secundum diversam sui præparationem, & prodesse, & obesse potest. testimonio Galeni inquam pluribus locis, & experientiâ ipsâ: pudeatque ipsos verba & auctoritates antiquorum male intellectas pertinaciter sine ratione & experimento affirmare, cum totam vim medicinæ consistere in ratione & experimento sæpe dixerit Galenus. Sed eo unde discessimus, redeamus. Sunt præterea fructus saccaro confecti jam dicti optimi, qui post cibum comedi possunt, pro stomachi, ut aiunt, sigillo, & non solum dicti confecti, sed alia etiam sunt, ut marzapani, canifiones, & alii pastilli, ut qui ex pineis etiam & fisticis, ac seminibus melonum & aliorum fructuum conficiuntur, cum saccaro. s. & aquâ rosaceâ, attamen ex eis parcè comedantur: quoniam dulcia sunt & ea ratione facillime in choleram convertuntur. Sunt & alia condita diversâ optima & potius medicinalia quam cibus, ut sunt myrobalani, emblici & chebulii, qui sunt refocillatione stomachi mirabiles & grati gustui, veneno resistentes, & comeduntur mane quatuor horis ante cibum, & sumi possunt in quocunque anni tempore. Sed in

hyeme optimum est pro stomachi refectiōne mane sumere radicem zinziberis conditi, confert enim stomacho, præsertim si in ipso multæ fuerint materiæ frigidaë viscosæ. Et quoniam multa edulia superius nominata sunt, notabis ex sententia Avicennæ, capite de eo, quod comeditur & bibitur, si unâ mensâ diversa cibaria comedantur, plurima mala inde proficisci, quorum primum est, quoniam varios cibos comedentes plusquam par sit comedimus, secundum autem quia ex diversitate cibi, fit diversa, ac varia secundum partes & tempus digestio, unde fit admistio digesti, et non digesti, quæ mala admistio neque ab hepate, neq; à venis corrigitur, unde sequuntur febres: tertium est quia stomachus magis in digerendo laborat, tam ratione qualitatis quam quantitatis, quare dicebat Galenus tertio. Regiminis acutorum, diversitatem cibi causare stomachi inquietudinem & eâ ratione laudavit Avicenna antiquos, qui unico genere cibi saturabantur. Quare quoad fieri potest in præservatione à febre pestilentiali à diversitate cibariorum abstinendum erit, quos cibos optime mandere convenit, quoniam melius digeruntur, ut dixit Galenus tertio de Virtutibus naturalibus. Et hæc de cibis satis. Potus vero sit vinum mediocre in omnibus, & primo in substantiâ, quæ non sit crassa, crassam autem habent omnia vina turbida, spissa, sit clarum subtile medi coloris, non dulce nec acre, sed medium habens saporem, non sit præterea vinosum, aut nimis aquosum, sed mediocre, boni odoris, & saporis. Neque audiendi sunt vulgares bibuli dicentes vina

vinosa



vinosa & magna esse bibenda in præservatione à febre pestiferâ ut sunt vina Cretensia, & similia quæ ipsi sæpissimè bibunt, & quod pejus est febricitantibus, & apostemata pestilentialia patientibus exhibent, ii sic bibentes præparant corpus ad febrem, quæ si hominem corripit facile postea pestiferam aeris qualitatem suscipiet, & cum hujusmodi error communis sit nostro tempore, causas cur perperam agant tacere nolui. Nocet abstinere se à potu, si sitis adest, igitur bibenda sunt ea, quæ palatum refrigerent, & malum aërem attractum corrigant, ut est aqua herbæ acetosæ, aut buglossæ, vel etiam aqua communis cum vino granatorum aut succo uvæ immaturæ, vel succo limonum, aut citri, quoniam non solum in præservatione conveniunt, sed in præsentī febre profunt: cave tamen bibere aquas malas, quæ in puteis immundis, aut locis cœnosis & paludosis morantur, nam generant cæteris paribus deteriores & maligniores febres quàm aliæ. Quod si aliquâ de causâ vina vinosa bibere oportuit, puta ex stomachi imbecillitate, bibantur mane ante prandium, in paucâ tamen quantitate, nam hujusmodi vina plerumque bibere oportet, præsertim in illis regionibus, quæ mollia, ac levia vina non producant, quare diluantur aquâ bonâ, quæ careat omni malâ qualitate.

## De inanitione &amp; repletione.

**T**Empore quo malus aer pestilentialis time-  
tur, studendum est præcipuè superfluitatum  
\* evacuationi, quoniam ex retentione excremento-  
rum generantur ægrotudines in omnibus partibus  
corporis. Laudatissimum evacuativum super-  
fluitatum communium intestinorum, & etiam  
urinæ, est usus pilularum Ruffi, quæ ab omnibus  
laudantur, & expertæ sunt in tali præservatione  
à febre pestilentiali, ac ob earum excellentiam in  
tali præservatione eas nominant pilulas contra  
pestem. Neque inventus est aliquis, qui usus sit  
hâc medicinâ & à pestilentia non fuerit præserva-  
tus, quare hujusmodi pilulæ sunt habendæ pro  
maximo thesauro, ac febris pestilentialis amu-  
leto, movent enim ventrem sine molestiâ seu  
agitatione, ideo semper eas paratas domi esse præ-  
cipio. Præterea convenit mane cum e lectulo sur-  
rexit, sputum promovere, et mucositates ex nari-  
bus extrahere, & si est assuetus vomere, vomitum  
provocare, quod si non est assuetus, nocebit, quo-  
niam trahit materiam ad partes superiores & nobili-  
ores; crura etiam & brachia & reliquæ corporis par-  
tes à sordibus linteo fricando abstergere optimum  
erit, caputq; & barbam semel & bis etiam in heb-  
domade



domade lixiviâ lavare, in quæ decoctæ sint rosæ & laurus, sapo etiam sit ex bene redolentibus compositus, ut faciunt unguentarii componentes odorifera pro delicatis hominibus. Et convenit omnes superfluitates & immundicias corporis amovere, fricando, lavando, & abstergendo usque ad sudoris levem provocationem; sed quoniam non solum dictis superfluitatibus retentis & non evacuatis fiunt ægritudines, ex sententiâ Hippocratis loco allegato, verum etiam ex malo sanguine & aliis malis humoribus cum ipso admistis, ideo si apparet aliqua sanguinis repletio, aut malitia à quâcunque causâ, bonum ac optimum consilium erit venam incidere, & tantum sanguinis, quantum erit opus, mittere, secundum hominis robur, & malitiam, vel sanguinis multitudinem; quoniam repletio, quæ in venis est, ac malitia facilius per venæ sectionem corrigitur, quam alijs auxiliis. Quare audacter poteris ad sanguinis missionem accedere, testantibus antiquis, & modernis. Qui non potest corpus exiccare medicinis, abstineat se saltem á nimia cibi et potûs repletione, & minus comedat quam aliàs consueverat, ut si qua superfluitas in corpore reliqua sit, á calore naturali, cibarium abstinentiâ minus impedito, consumi possit, & esto memor eorum, quæ dicta sunt superius, quòd tolerare famem non solum stomachum implet malis humoribus, verum etiam, si quis diu jejunaverit, ut faciunt quidam nihil comedentes per aliquos dies, isti exterminant virtutem, quâ exterminatâ corpus efficitur debile, quod postea est paratum ad omnem malam putredinalem dispositionem.

dispositionem. \* Te memorem tamen esse oportet quod tota intentio in præservatione, ut superius dictum fuit, est exiccare corpora humida à naturali, vel accidentali humiditate, & quæ sicca sana sunt in eâ siccitate conservare. Videlicet corpora, quæ superfluitates non habent, inanire minimè oportet, quoniam dicebat Hippocrates errare qui sana habent corpora si purgationibus utantur, & ratio est, quoniam evacuant humores & humiditates radicales, in quibus calor naturalis pascitur.

---

## C A P. V.

De modo quo debemus exercitare corpus.

**Q**Uoniam, ut dicebat princeps Avicenna tertiâ primi, doctrinâ secundâ, capit. primo, in exercitatione corporis, anhelitus, & intensior & remissior necessariò fit, inde in præservatione à febre pestilentiali ob aeris corruptionem vehemens exercitium non convenit, immò neque mediocre, cum etiam corpore mediocriter calefacto necessarium sit ad cordis refrigerationem aerem extrinsecum frequentius inspirare, unde sequitur spiritûs cordis infectio, ab aeris exterioris malitiâ. Nocet etiam nimia quies quoniam ex  
hoc

---

\* V. Mead. p. 40.



hoc superfluitates & humidi humores generantur, ut testatus est idem Avicenna, nam nimia quies corporis virtutes hebetat, sequunturq; ad ipsam oppilationes & corporis in frigidatio, quare neque sine aliquo levi exercitio potest tueri à malâ aeris contagione, cum debilitatum corpus facile sit vinci à quâcunque causâ, etenim diminutâ resistantiâ agens & citius, & fortius agit. Et ideo in præservatione debemus eligere exercitia levia. Antequam vero ad prandium se conferat, exerceat corpus aliquâ levi deambulatione, in aliquo loco in quo hominum multitudo non sit, quoniam frequentia hominum ex inspiratione & expiratione alterant aerem alteratione malâ, & ideo tali tempore loca, in quæ \* multitudo hominum convenit, adire non laudo, ut sunt Ecclesiæ magnæ, & forum vel prætorium & hujusmodi loca, ad quæ hominum multitudo se conferat. Deambulent igitur in loco amœno, ut sunt viridaria, in quibus sint herbæ & flores & fructus benè redolentes. Quod si aer esset talis, qualis sæpe tempore pestis visus est, videlicet turbulentus, crassus, foetidus, nullo modo exire oportet, sed domi manere, & factis aspersioibus & suffumigijs dictis in capite de rectificatione aeris, leviter deambulare & sic se exercere; vel utatur, si est impotens ad ambulandum, alijs levibus exercitationibus, ut est manum manu confricare, brachia extendere, vel ludere lusorijs tabellis, sunt & quamplurima alia genera exercitationum levium

---

\* V. Mead. p. 51.

vium non calefacientia, neque ducentia ad necessitatem frequentis anhelitus, ut sunt Venetijs vehi cymbâ, & in alijs locis continentis vehi curriculo levitè currente & in loco plano, levis equitatio super mulam placidè incedentem, & cætera talia, quæ omnia possunt & plus & minus alterare corpus secundum diversos respectus, puta ætatis, temporis, & consuetudinis.

---

## C A P. VI.

### De regimine somni, & vigiliæ.

**D**Icebat Hippocrates secundo Aphorismorum, somnum & vigiliam si modum excedant mala esse, quare reguletur sic somnus, in primis dormiendo secundum debitum tempus, & horis congruis. Dormiendi igitur hora sit post cœnam duabus horis, & somnus non sit longior, quam octo horarum, nec brevior quam sex, etenim somnus longus infrigidat, & humectat corpus. Vigiliæ vero cum superfluunt virtutem hebetant. Somnus diurnus & post cibum factus nocet, & ideo abstinendum est ab ipso, nisi fuerit antiqua consuetudo dormire in die, & post cibum, hoc in casu somnus diurnus concedi potest & etiam paulo post cibum, & in illis, qui virtutem stomachi digestivam debilem habent, attemen talis somnus semper deterior alijs est, cum generet



generet plurimas humiditates, & virtutibus alijs parùm profit, ideo fit brevior quam pro consuetudine esse solebat, ut mala consuetudo paulatim aboleatur. \* Præterea nimia vigilia, ut dictum est, nocet, corpus inflammat, præparat ad febres, & dissolvit virtutem, ita ut formam corrumpat, & ad extremam maciem inducat. Quare si vigiliæ tempore æstatis ex nimia caliditate & siccitate aeris accidant, provocandus est somnus cibis domesticis, ut puta, lactucis. Quod si timeamus lactucæ frigiditatem, possumus permiscere melissam, quoniam ut dixit Serapio, præter alias virtutes, quas habet in refocillatione cordis & contra humores venenosos, inducit somnum. possumus etiam inducere somnum, refrigerando aeris caliditatem cum sparsione foliorum, ac florum frigidorum, ut sunt violæ, nenufaris, five nymphææ, rosæ, foliorum lactucæ, salicis, & similia, vel aspergendo domum & cubiculum cum aliquâ decoctione, in qua decoctæ sint herbæ & flores prædicti, vel cum aliquâ decoctione frigidâ scriptâ in capite de aeris rectificatione.

---

## CAP. VII.

### De regulis animi passionum.

**I**Nter causas efficientes, quæ complexionem sive temperaturam corporis nostri corrumpunt, animi affectus Averrois sexto Colliget capite

---

pite primo enumeravit. Et ideo quantum fieri potest \* studendum ut ij omnes procul sint, ut est pusillanimitas, sollicitudo, timor, cura, tristitia, ira, cogitationes, imaginationes, ac opiniones tristes, studia laboriosa, verecundia & similia. fugiendæ etiam sunt causæ tristitiam inferentes, ut est mora in locis obscuris, & foetidis, ac inspectiones corporum languentium, & mortuorum, & rerum monstrosarum, & picturæ horrendæ, fugiendæ sunt etiam lectiones illæ, quæ moerorem inducunt; neque bonum est interesse narrationibus miseris & lamentationibus, & similibus, quoniam mirum in modum tristem reddunt audientem, & omnes virtutes exterminant, unde redditur corpus paratum ad malas ægitudines, immo, ut in primo tractatu dictum est, multi ex solo timore, & imaginatione, inciderunt in febrem pestilentialem, igitur gaudere oportet: etenim gaudium animam corroborat, & ejus virtutes excitat & corroborat, quæ postea corroboratæ resistunt causis alterantibus nostrum corpus.

---

## C A P. VIII.

De præservatione à febre pestilentiali per ea quæ intus & extra exhibentur.

**R** Eliquum est ut addamus qua ratione possit quis se tueri à febre Pestilentiali per quædam quæ evacuant, vel dum tangunt corpus nostrum

---

\* V. Mead. p. 49.



nostrum, sive gestentur sive in ore ferantur, vel dum masticantur deglutiunturve, defendunt ipsum à contagione pestiferâ. Capiantur pilulæ Ruffi, & venæ aperiantur, si quis venæ apertionem timet, loco apertionis venæ appositio ventosarum, sive cucurbitularum cum scarificatione sive scalpellatione laudatur. Sed quando humor superfluous est alius a sanguine, ut superius dictum est, purgetur medicinis levibus secundum naturam humoris exuberantis. esto tamen memor in evacuando miscere ipsis medicinis ea quæ sunt accommodata humori venenoso, verbi gratiâ addendo triferam persicam. Quod si corpus mundum est, neque eget evacuatione, maneat in regimine aliarum rerum superius dictarum. Et hæc est prima præcautio in præsertione, post hanc vero odoramenta superius dicta laudantur. Cavendum tamen semper est à nimis calidis odoribus, ut est moschi & ambræ odor, præsertim tempore æstatis, quoniam calefacit & capitis dolorem ciet, sint ergo isti odores calidi suis contrarijs contemperati, utputa cum aquâ rosaceâ, vel camphorâ & alijs remittentibus eorum caliditatem, & ista est præcautio secunda jam dicta corpus nostrum defendens. Sed quoniam antiqui sapientes dixerunt quædam esse, quæ suâ proprietate resistunt venenis, sive ea sint aeris pestiferi, sive quovis alio modo contracta, ac ea multa esse fatentur, ideo putavi non ingratum fore illa addere, inter quæ lapides pretiosi & gemmæ enumerantur, quæ cum sint diversa & ob id aliqua sint quæ non solum divites habere possunt,

verum

verum etiam & mediocres homines, qui si eis experiri voluerint secundum regiones & hominum facultates, rem non omnino imprudentis hominis facient, tametsi quidam hoc tanquam fabulosum rejecerunt, attamen quoniam ipsæ gemmæ minime obesse possunt, meâ quidem sententiâ, non sunt explodendæ, præsertim cum omnes fateri possint se multa vidisse, quæ a formâ specificâ operantur, ut apparet de attractione ferri a lapide magnete, sive herachio, & de retentione sanguinis a lapide jaspide, & etiam de lapide carbunculo, qui illuminat aerem, ideo ne alicui parti id, quod fieri potest in tam sæva ægritudine, deficiat, ista etiam minime dimittenda sunt: possibilitas enim est res ampla, & etiam aliquando confidentia in aliquâ re reddit animam fortem, quæ postea suis instrumentis resistit causis exterioribus & interioribus corpus alterantibus. Quapropter semper laudatissimum est aliquid agere, quod, ut dixi, obesse non valeat, tametsi quod proderit non certa scientia sit, & ideo divites & viri magni, ac principes, ferant lapides pretiosos appensos collo, quod fit si perforati sint, aut auro circumdati, & mancant sub mamillâ sinistrâ, vel gestentur in ornamentis manuum, ut in annulo. Sed inter primarios lapides, qui venenum fugant, & aeri pestilentiali resistunt, est lapis carbunculus, etenim ut dicit Albertus in libello de Lapidibus preciosis, ejus præstantior virtus inter cæteras multas, quas ei attribuit, est venenum destruere ita, ut si in mensa, ubi venenum sit, præsens ponatur, debilitet venenum & in ore detentum sit, non permittat malam



malam aeris qualitatem in spiritibus cordis imprimi. Secundo loco est lapis smaragdus, gemma seu lapis pretiosissimus, resistens veneno & aeri pestifero similiter gestatus, vel in pulverem redactus bibitus per se, aut una cum æquali portione boli armeni, & terræ sigillatæ ana. ʒ. s. qui potest, sumi cum aquâ acetosæ vel vino aromatico mane, Et ad eas medicinas, quæ & ratione & usu, ac testimonio doctissimorum virorum, ut fuit Galenus, comprobatæ sunt, redeamus, inter quas principatum tenet theriaca, quam ipse laudat in fine libelli de theriaca ad Pisonem istis verbis: In pestiferâ lue sola hæc antidotus malo correptis prodesse adeo visa est, ut nullum aliud præsidium tanto malo resistere fuerit idoneum; pestis namque tanquam & ipsa existat bestia haud paucos interimit, verum civitates quoque totas depascens male conficit. Quippe prava quædam aeris ad corruptionem prompta mutatio efficitur, & homines, quum respirationis necessitate periculum evitare nequeant, ipsum aerem veluti venenum quoddam ad se per os attrahunt. Quamobrem etiam Hippocratem illum multis modis admirandum laudo, qui luem illam ex Æthiopiâ Græcos invadentem non aliter curaverit, quam aeris mutatione, alterationeque; ne talis amplius inspiraretur, igne in primis aerem corrigendo, in quo odorifera comburebantur, ut sunt flores & unguenta suavissima, paulo etiam post dicit: Similiratione theriacen, ceu ipsa quoque ignis quidam purgatorius existat, præsumentes in pestifero

fero aeris statu neutiquam malo corripere finire novimus; & jam correptis posse mederi aeris inspirati malitiam inalterantem immutantemque, ut quæ corporis temperaturam magis infici prohibeat. Quapropter consilium est ob has tam repentinas aeris constitutiones, aliasque noxarum causas oborientes, in prosperâ quoque valetudine antidotum assumere, quo externis accidentibus corpus resistat, ac ubi jam fuerit affectum, illam invenies propitiam, quæ veluti bonam quandam temperiem, salubremq; statum corporibus inducit, dum humorum superfluitates absumit, & reliqua. Hæc Galenus, quæ cum ita sint, assumptio quotidiana unius scrupuli theriacæ, aut plus aut minus secundum temporis & aliorum emergentem necessitatem mirum in modum laudatur, quæ & sola & cum aliis quibusdam sumi potest, ut, si times ejus caliditatem, cum aquâ acetosâ, & interpolatis diebus, non autem quotidie sumas, sicque corrigitur inspiratus aer, & membrorum principalium virtus roboratur, ut aeri malo resistere valeat: theriaca enim est medicina præstantior cæteris, si moderatè ipsâ utaris, quoniam præterquam quod præservat a lue pestilentiali, omnia membra principalia roborat, ita ut & multas alias ægri tudines evitare possis. Nocet tamen theriaca pueris, & febricitantibus. Quod si theriaca non adsit, quoniam hæc compositio vel raro fit, vel si facta reperiat, non optima est, poteris loco ipsius dare mithridatum in eâdem quantitate & ordine; sunt & alia, quæ per os sumta resistunt aeri pestifero, ut est radix zedoariæ, ipsa  
ejus



namque in ore teneatur, vel deglutiatur, stomachi roborat digestivam, ventositatem dissolvit, ac humiditates ipsius exiccat, aeriq; pestilentiali & venenoso resistit. Attamen tempore æstatis & maximi caloris abstinendum est à frequenti usu ipsius, & cum eâ utendum est herbâ acetosâ, vel ejus radice, quoniam est ex eis quæ multum profunt si comedantur, vel ore teneantur. Valent enim semina citri, limonum & similia, si mastificentur, & etiam cortices eorum. Sunt præterea ad hanc intentionem radices dictamni, cardui, & chameleontis, & cardui benedicti. Quidam vero ad præservandum, præter ea quæ dicta sunt, exulcerant aliquam partem corporis cauterio actuali, seu potenciali, & ulcus tenent adaperitum, ut ex ipso virus corporis emanet, quod non sine ratione & auctoritate factum est. Inquit enim Avicenna, qui habet unum membrum ægrum, supple exterius, cætera interiora sunt incolumia, etenim membra intrinseca fortia expellunt superfluitates ad exteriora debilia. Hoc vero ulcus vidi factum in crure sub genu in parte sylvestri in quodam, qui præstabat medelam infectis pestilentiali febre cum apostematibus, & eos animosè tractabat: sunt qui faciunt hujusmodi cauterium in brachio supra cubitum ut præserventur à peste, quod etiam laudo, quoniam in quacunque parte corporis fuerit, semper prodest, attamen melius est ipsum facere in partibus ignobilioribus & extremis, quò humores faciliùs cursum habere possint, ut sunt crura. Sunt etiam qui & vesicatoria vnguenta ad præservandum tu-

per crura apponunt, ac superficiale ulcus, butyro & folio caulis humefaciendo consolidare prohibent, ut inde virus corporis evacuetur; sunt etiam, qui tempore suspicionis quærunt incidere in scabiem per contactum scabiosi, credentes scabie ipsâ corpus a malis humoribus mundari. Et etiam sunt quidam scabiosi, qui tempore suspecto nolunt sanari, dicentes scabiem mundare corpus à putridis humoribus; ij omnes graviter errant, quoniam corpora scabiosa sunt magis parata ad suscipiendam qualitatem febris pestilentialis quàm sint corpora munda, cum scabies sit ægritudo quæ non sine humorum putredine fit, ac contagiosa, tametsi cutanea sit ægritudo, quæ tamen non est aliquando sine jecinoris & massæ humoralis noxâ. Nam si corpus mundum potest alterari ab aëre pestilentiali, quanto magis corpus in quo jam humores aliquam putredinis partem contraxerunt? Frivolæ sunt etenim rationes dicentes ægritudines cutaneas fieri à natura forti, quæ mundificare sanguinem intendens mandat humores corruptos ad partes exteriores, cum hoc non tollat malam qualitatem jam contractam in massâ humorali, per quam facilius imprimitur, ac cum minori resistentiâ ultima malignitas quæ est pestifera qualitas. Quare sibi caveant scabiosi, quoniam sunt maxime parati, ac omni ingenio curent sanare scabiem, evacuationibus, & per venæ apertionem, ac ventosarum sive cucurbitularum applicationem. Et etiam per alterantia mundificantia intus massam humorum, ut sunt syrups, & cibi, & etiam per



per exteriores illinitiones, corroborantes membrâ,  
 resolventesq; materias putridas in ipsis, quo-  
 niam sic erit vera præservatio. Sunt etiam qui  
 tempore pestis, cum habent ulcera in cruribus,  
 nolunt sanari, sed ea adaperata tenent, quam rem  
 summopere laudo, cum per ipsa ulcera quædam  
 corporis superfluitates expurgentur. Animadver-  
 tant consanguinei id, quod in primo tractatu dixi,  
 scilicet se ex consanguinitate facilius posse infici,  
 ideo, cum ijs majus immineat periculum, quan-  
 tum fieri potest, si domi sit aliquis infectus, omni  
 præparatione tam exterius, quàm interius uti de-  
 bent, & de illis quæ præservant, ut dictum est,  
 terrâ sigillatâ; quam si Lemniam dixeris ab  
 insulâ, à qua asportatur, non refert, & etiam  
 bolus, sive lutum, sive terra Armenia sumpta  
 cum aquâ rosaceâ in æstate, cui tamen in hyemé  
 addendum est parum vini malvatici, vel falerni,  
 vel alterius generis duabus aut quatuor horis  
 ante prandium, & sunt res expertæ non solum  
 ab antiquis, sed à modernis, & ego quidem sæ-  
 pissime expertus sum tam terram sigillatam, quam  
 bolum armenium, & vidi mirabilia, ut dicam  
 ubi de curâ hujus febris & morbillorum & pesti-  
 chiarum, ac aliarum cutanearum macularum,  
 quæ in tali febre apparere consueverunt, tractabo:  
 datur etiam terra sigillata cum aquâ rosaceâ &  
 portione aceti, sed cave ne des nimiam aceti  
 quantitatem patientibus difficultatem anhelitûs,  
 & tussim, præsertim mulieribus; notabis etiam  
 quod quando est tussis, melior medicina est bolus  
 armenius, cum leniat pectus: dissolves autem ip-

sum aquis pectoralibus, ut est aquâ farfaræ, quam  
 tussilaginem Dioscorides vocat, vel buglossæ, vel  
 capillorum Veneris. Accipe bolum armenium  
 dictum, in pulverem redactum, ad quantitatem  
 quam præparare desideras, pone super ipsum  
 aquam rosarum, vel acetosæ, vel buglossæ, & cum  
 sextâ parte vini aromatici albi lava ipsum, po-  
 stea permittite descendere & subsidere, deinde pro-  
 jice aquam, quâ projectâ assume unam superfici-  
 em boli armenij post aliam cum cochleari vel  
 alio instrumento idoneo, donec totam illam par-  
 tem, quæ boni est coloris, habeas: cum vero vi-  
 deris mutare colorem ad fuscèdinem manifestam,  
 dimitte & projice partem illam, quoniam sordes  
 & terra cœnosa est. Priorem tamen serva exic-  
 catam in umbrâ, quod si pluries hoc pacto bo-  
 lum armenium lavabis, optimè facies, quantitas  
 vero quæ ex ipso datur, sit drachmæ unius usque  
 ad duas cum aqua rosaccâ, vel acetosâ, & vino  
 aromatico, habendo rationem ad malignitatem ae-  
 ris, ut puta quando erit aeris corruptio maxima, ma-  
 jorem quantitatem & frequentius dabis. Præte-  
 rea omnes medicinæ, quæ vermes interficiunt,  
 sunt præservantes a peste. Ego enim plurimos  
 vidi patientes febrem pestilentialem evomere ver-  
 mes, & etiam per secessum cum egestionibus eos  
 emittere; vermium autem generatio arguit max-  
 imam humorum corruptionem, quare si dan-  
 tur ea, quæ vermes occidunt, est mirabile  
 præsidium, quoniam illis evacuatis, evacu-  
 atur putrida materia, quæ parata est suscipere  
 ultimam malignitatem; occidentia vero, &  
 educentia



educentia vermes sunt multa, scilicet aloes, agaricus, rhabarbarum, & similia; sunt etiam frigida quædam quæ vermes interficiunt non solventia ventrem, ut est semen acetosæ, portulacæ; sunt etiam quædam alia calida ut semina citri, & alia, quare eis uti quispiam potest solis, vel commistis secundum opportunitatem. Nota tamen quòd occidere vermes, & eos extra corpus non educere maximum malum est, cum mortui corrumpantur, & putridi vapores ab ipsis excitati sævissima accidentia causent; quare non solum eos occidere studendum est, verum etiam extra ventrem per secessum educere oportet. Possent multa alia quæ à gravissimis doctoribus laudantur scribere, quæ cum sint in eorum libris semper parata, & datâ occasione unusquisque possit ea seligere, veluti ex maximo medicorum thesauri acervo, ne longior essem prætermisi. Attamen in pauperum gratiam & commoditatem, qui non possunt theriacam & alias preciosas medicinas emere, quædam simplicia, præsentanea, & inventu facilissima hic in calce addere volui, quæ sunt hæc. In primis comedant herbam acetosam jam dictam, scabiosam etiam & calendulam, quæ maxime mulieribus confert, cum præter veneni rectificationem provocet menstrua & sudorem etiam, pimpinellam etiam comedant vel bibant succum ejus aut aliarum mane, quoniam præservat & curat. Sunt & herbæ calidiores quæ si comedantur præservant, ut est prasium, hyssopus, hypericon, enula utraque, verbena, dictamnium præscitum Cretense, eaq; omnes herbæ singulæ possunt sumi

sumi virides & exiccatae ac in pulverem redactae, vel alio quovis modo mane, cum vino aut aquâ buglossæ, & portione aceti. Unum tamen præterire nolo, videlicet comestionem limonum & citrorum, tam illorum succi quam corticis & seminum, per se, vel in cibarijs, non solum præservare à febre pestilentiali, verum etiam sanare. Cum videris multitudinem hominum cujuscunq; ætatis, complexionis, & sexûs repente perire, præstantissimum remedium est procul ab hujusmodi loco abire, & optimum aerem quærere; cum difficillimum sit ultimam malitiam aeris corrigere. Medicus vero, qui ægrôtantes videt, & tangit, caveat, atque cautus sit, neque sine præcautione eos videat, quare primum habeat odoramenta & lavacra, in quibus sint bene redolentia & acetum, neque multum cum infectis maneat, sitq; nitidus, parcè comedat ex jam dictis cibarijs, parceq; bibat, procuret etiam ut venter quotidie fluat, accipiatq; ex pillulis Ruffi, aut ex alijs præservantibus; dormiat horis congruis, & postremo sit lætus animo. Quod si multos videre sibi necessarium sit, ac inter infectos versari, ut contingit illis, qui publico stipendio infectis medelam præstant, optimum præsidium ad præcavendum erit facere jam dicta cauteria cruribus, quæ fontanellas vocant, habeantque semper aliquid in ore resistens pestiferæ malignitati.



## CAP. IX.

De præfervatione à febre pestilentiali separando homines infectos à fanis. deq; cognitione corporum infectorum tam viventium quam mortuorum.

**P**Ræservatur præterea civitas, plebs, ac cives & nobiles à contagione pestiferâ, si ægro-  
tantes & infecti ab ipsâ separentur, & ad superius dicta hospitalia mittantur, ne cum fanis negotiantes, aut aliter se commiscentes, eos inficiant. Igitur cum suspicio de pestilentiali contagione est ita, ut, sicut superius dixi, ægri moriantur, visitationes denegandæ sunt, ne hujusmodi contagio ulterius procedat. Domini etiam Provisores Salutis procurent diligenter per ministros corpora mortuorum inspici, & ex signis, numquid mortua sint febre pestilentiali nec ne, cognosci, præsertim illa, quæ brevi tempore, aut subitanæ morte moriuntur, quoniam cum aeris inclinatione cita vel subitanea mors est certum pestiferæ febris signum. Primum igitur cum medicus vel minister aliquis hæc corpora mortua viderit, interroget eos, qui ante mortem cum ægro fuerunt, quot dies ægrotaverit, & quæ nam fuerint accidentia in tali ægitudine, scilicet an inquietudo fuerit, vel nigredo linguæ, aut vomitus, & difficultas deglutiendi, vel sudores frigidi, & deliria, nunquid etiam aliquod tuberculum extiterit, vel

in inguine, aut sub alis, vel post aures, vel in alijs partibus corporis, nunquid etiam viderint maculas, pestichias vocant, aut morbillos, aut variolas, quod si plura ex istis, aut aliqua, vel omnia apparuerint, corpus illud mortuum esse febris pestilentiali proculdubio dicere oportet; Si autem æger eos, qui ipsum ægrotantem iuverint, non habuerit, ita ut præterita accidentia minime sciri possint, & quis an febre pestilentiali mortuus sit scire voluerit, primum jubeat à ministris inspicere post aures, & sub alis ac in inguinibus, nunquid sit aliquis tumor, videant etiam reliquas partes corporis nunquid sint tubercula quædam parva & aliquando magna, quæ carbones vocant, videant etiam in dorso & alijs partibus corporis nunquid sint maculæ vel rubræ vel nigræ aut alterius coloris, ut supradictum est, sintne etiam parvissimæ in modum morsus culicum, præsertim in regione cordis, & an cutis maculata sit & diversa appareat in colore, scilicet plumbeo, & livido hinc inde, & nunquid maculæ, ac si velatæ sive coopertæ essent, appareant, aut sit in dorso nigredo, & hypochondria tumida in modum tympani sint, quæ omnia & singula corpus illud pestiferâ febre mortuum fuisse arguunt, attamen non omnia semper, aut ut plurimum apparent, sed aliqua. Et quoniam sæpe homines quidam sunt nigri, ut sunt Æthiopes, & alij servi morientes ex tali febre, in quibus advertere oportet, nunquid, præter humores, & alia quæ ad calorem spectant, videant pestichias sive maculas lenticulis similes sæpe rubras & aliquando albicantes.



albicantes. Præterea in cadaveribus mortuis videndæ sunt extremitates, puta ungues tam manuum quam pedum, & etiam aures & nasi extremitatem, ac bursam testiculorum, sive scrotum dixeris, quoniam hæc omnia in mortuis ut plurimum livescunt, præsertim si febre pestilentiali mortua sint, in his enim horrenda aliquando est lividitas. Quare sic diligenter inquirendo deveniunt in cognitionem corporum mortuorum a febre pestilentiali, & iis quæ dicta sunt malam aeris coinquinationem coniungendo sine hæsitatione talia corpora contagione pestiferâ mortua esse iudicare oportebit. Hæc tamen corpora non debent medici & ministri prope inspicere, sed procul ac per infectos aut suspectos ministros hæc omnia sciant. Et quoniam, cum populatur pestis præsertim plebeos, optima est præservatio, ne huiusmodi febris sanos arripiat, ideo ægrotantes separare, ut dictum est, à sanis oportet, ne cum illis negotiantes inficiantur, igitur fiat inquisitio ægrotantium per ministros, et si cum eis loqui possunt, ab eis sciscitentur quæ sequuntur, sin minus per domesticos inquirent. Primum nunquid æger passus sit die primâ aliquid frigoris, quoniam sæpissimè in motu materiæ venenosæ, tametsi intra venas putrescat, calor contrahitur & apparet frigus quoddam. Nunquid etiam calor patientis vehemens sit, & inquietudines multæ, ita ut consistere nequeat, sintq; alienationes, insomnietates, vel somni profundi, syncopis, sudores frigidi, & aliâ sæpe dicta accidentia; Nunquid præterea tumor aliquis parvus, magnusve apparuerit a principio,

K

tametsi

tametsi non prosequutus sit, vel in inguine vel sub alis, aut in collo post aures; Denique jubeant linguam exerere, quæ si fuerit diversis coloribus inspersa, scilicet rubra, nigra, & hinc inde alba, sintq; quædam pustulæ præsertim in palato, signa sunt febris pestilentialis; præsertim si facies patientis mutata fuerit, horrida, vel contracta, & oculi rubri, vel concavi, vel nimium igniti, & torvi. Similiter jubeant inspicere universum corpus, & videant nunquid sint maculæ, sive pestichæ aut carbunculi. Urinam etiam inspiciant, tametsi sit signum fallax, quæ si fuerit turbida, livida, vel alba, ita ut neque ad ignem calefacta mutetur, ut in nephreticis fit: Vel si fuerit lymphida, clara, diaphana, & propemodum sine colore: Ista omnia sunt signa, quæ ægrum pestiferam febrem pati ostendunt. Attamen hæc omnia signa diversificantur secundum diversa anni tempora, quoniam in æstate maculæ & apostemata citius apparent, quàm in hyeme & aliis temporibus, cæteris paribus, magis in constitutione calidâ quam frigidâ. Hæc vero inquisitione diligenti factâ, qui ægri sunt, mittantur ad hospitale infirmorum; qui autem sani sunt, sed cum ægris fuerunt, quoniam suspecti sunt, ad aliud hospitale mittantur; mortui etiam febre pestilentiali, sepeliantur procul a civitate, si fieri potest. ministri dum ista tractant habeant odoramenta sæpe dicta præsertim acetum, quo cum lavent manus & faciem, & hæc de regimine, quo præcaveri potest à febre pestilentiali satis esse puto.



## ERRATA.

**P**AGE. 9. l. 3. l. *olentem*. l. 10. l. *plerosq;* l. 12. l. *sedabatur*  
l. 13. l. *non*. p. 12. l. 12. l. *presentem*. p. 23. l. 22. l. *lig-*  
*nis*. p. 6. l. 18. l. *fit*. p. 22. l. 11. l. *ex ijs*. p. 23. l. 1 l.  
*obnoxia*. l. 25. l. *Avicenna*. l. 27. l. *substantia inflammabilis*. p. 25.  
l. 23. l. *paucitate*. p. 27. l. 2. l. *pleuriticum*. p. 28. l. 16. l. *coele-*  
*stis*. p. 29. l. 13. l. *elevatos*. l. 21. l. *sibili*. p. 31. l. 4. l. *acerui*. l.  
12. l. *scilicet*, l. 24. l. *intolerabili*. p. 33. l. 16. l. *putredini*. p. 35.  
l. 22. *dele, est, & insere post inflammabilis*. l. ult. l. *intemperies*. p.  
48. l. 27. l. *earum*. p. 64. l. 2. *dele, mala*. l. 5. l. *hoc*. p. 65. l. 2. l.  
*quoniam*. p. 67. l. 14. l. *charitate*. p. 74. l. 4. l. *aspersio*. p. 76. l.  
5. *Gallia, & lin*. 25. p. 77. l. 11. l. *Sobrietas ac cibi*. p. 78. l. 25.  
l. *fit*. l. *comparata*. p. 80. l. 12. l. *delectabili*. p. 81. l. 9. 9. l. *por-*  
*tiuncula*. l. 16. *dele praesertim &c. ad praesertim*. p. 84. l. 8. l. *co-*  
*medere*. l. 17. l. *dimittantur*. l. 23. l. *dimittantur*. p. 85. l. 25. l.  
*præterea*.



















